ENCHIRIDION
HERMENEUTICAE
GENERALIS
TABULARUM
VETERIS ET NOVI FOEDERIS.

AUTHORE
JOHANNE JAHN,
PHILOS. ET THEOL. DOCT. ECCL. METROPOL. AD. S. STEPHANUM VIENNAE CANON. CAPIT. ARCHIEPISC. CONSISTORII. CONSILIAR., OLIM. L. L. O. O. ARCHAEOL. BIBL. INTROD. IN V. T. ET DOGM. PROF. CAES. REG. P. ET. O.

VIENNAE, 1812.
IN LIBRARIA CAMESINAE.

Προδσραμων δε ὁ Φιλιππος ηκουσεν αυτου αναγινωσκοντος τον Προφητην Ησαϊαν και ειπεν· αραγε γινωσκεισ ἁ αναγινωσκεις; ὁ δε ειπε· πως γαρ αν δυνχιμην, εαν μη τισ ὁδηγησε με; Act. Apost. 8, 30 — 31.

Praefatio.

Haudquaquam inconsulte aut temere ante annos septem, generalem Veteris et Novi Foederis Hermeneuticam non solum promisi, sed etiam in mea Archaeologia Biblica 1805. §. 310. p. 492. allegavi, scilicet ut propediem vulgandam; plene quippe ad typographiam praeparata, jamjam prelo subjicienda, et brevi temporis spatio, utpote paucas plagulas impletura, expedienda erat. Praesagire enim illo quidem tempore nullatenus poteram impedimenta, quae editioni paulo post objecta fuerunt. Ad haec accessit, quod demum mox anno sequente 1806, una cum munere docendi simul religione promissi absolutus esse mihi viderer; quapropter opusculum, aliunde et promissum et adcommodatum auditoribus, quos nunc jam non eram habiturus, ut supervacaneum in scrinium reposui, fato suo relinquendum. Non deerant quidem deinceps, qui me nonnunquam officii commonefacerent; ast alia semper, et rursus alia editioni obstabant, et monita quo-

que non erant adeo gravia, ut obstaculis praeponderarent. Verum ultimis duobus his annis graviores undique veniebant monitores, qui partim peregrinanentes me invisebant, partim literis me interpellabant, nec ullam impedimentorum, quae ipsis exponebam, rationem habebant, sed his omnibus spretis editionem Hermeneuticae petebant, ac parum aberat, ne flagitarent. His petitionibus toties iteratis, quae, quo diutius cunctabar, eo magis urgebant, adeo demum commotus fui, ut mentem mutarem, et neglectis omnibus incommodis editionem libelli decernerem; votis enim tot tantorumque virorum porro reniti, si non inportunum, saltem inhumanum esse videbatur. Quare opusculum, olim ad typos paratum, e loculo, in quo latebat, extraxi, ut typographo traderem; ast eo perlecto vidi, hac quidem conformatione, qua erat olim usui scholarum adaptatum, nunc jam emitti non posse, sed totum omnino esse retractandum, quem laborem amore carissimorum amicorum, lubenti animo in me suscepi, et nunc absolutum his ipsis benevolentissimis viris in pignus perpetuae amicitiae summa cum veneratione offero et consecro. — His, quae hucusque scripsi,

lectis, nemo unus me jure de vi postulabit, ac si provinciam alienam invasissem; nam etsi mearum nunc quidem partium non est, Hermeneuticam praelegere auditoribus Theologiae; nequaquam tamen haec unica et sola est docendi ratio, sed restat munus alterum, lectoribus libri praebendi materiam, quam meditentur, et in usus suos convertant, quod non denegatur ulli, cui non deest, quod proponat, meditatione dignum, inprimis si idipsum ab eo a multis saepius petitum fuit. — Hinc opusculum, usui privato dedicatum, Enchiridion inscripsi.

Haec sunt, quae dicenda existimavi de me, nunc pauca de re. Ac primum quidem monendum censeo, non alias in hoc libello quaerendas esse leges interpretationis, quam eas, quas inscriptio praefert, nempe illas solas, quae in exponenda sacra scriptura et Veteris et Novi Foederis obtinent, et eo consilio in hac amplitudine pertractandae mihi videbantur, ne eas in studio tabularum Veteris Foederis pertractatas, cum venitur ad Novum Foedus, rursus repetere, et ita eandem crambem recoquere opus sit. Has regulas, interpretationi Veteris et Novi Foederis communes, non solum clare exponere, sed etiam

limites earum, et vim probandi, quanta ipsis insit, adcuratius definire studui, quo in negotio non arbitror, me omnino actum egisse; — sed hac de re judicent lectores. — Quia autem leges interpretandi, etsi alioquin optimae, utilissimae, clare propositae, ac adcurate definitae, per se solae, et sine exercitatione exegetica, promtam interpretandi facultatem haudquaquam conferunt: eas singulas pluribus exemplis illustravi, quorum aliqua paucis, quantum nempe libelli angustiae permittebant, explicavi, alia vero plura duntaxat indicavi, et excercitationi lectorum examinanda obtuli, de quibus omnibus notari velim, numeros in allegationibus Capitum et Versuum, non ad Latinam Vulgatam Bibliorum versionem, sed ad textus originales spectare, quod Biblia evolventibus et locum allegatum quaerentibus, in omnibus quidem scripturae sacrae libris, inprimis tamen in libro Psalmorum observandum est, in quo numeri Bibliorum Hebraicorum a Psalmo X usque ad CXIV, et rursus a Psalmo CXVI usque ad CXLVII unitate praecedunt numeros versionis Latinae Vulgatae. — Veritus non sum, exempla nonnulla, semel producta, in progressu operis data occasione, re-

petere, ut docerem, qua ratione interpretatio argumentis, ex diversis regulis Hermeneuticae ductis comprobanda et confirmanda sit. Interposui quoque exempla quaepiam graviora, ad Theologiam Dogmaticam spectantia, ut, quanti sit Hermeneutica in aliis disciplinis theologicis momenti, ostenderem. Quod, si placuisse audiero, fortasse, si Deus vitam et vires concesserit, pluribus praestabo, editurus aliquas in quaepiam loca, quae sunt dogmatum theologicorum sedes, exercitationes hermeneuticas, in quibus usum regularum fusius docere conabor, et simul sensum horum insignium locorum omni argumentorum exegeticorum genere vindicabo. His interseri fortasse poterunt expositiones vaticiniornm de Messia, quas anno 1805 in Praefatione ad tertiam Partem Archaeologiae Biblicae, lingua Germanica editae, promiseram, et ex eo tempore in scriniis quidem meis conservavi, nec tamen, temporum adjunctis minus faventibus, edere potui, etsi de editione hujus opusculi saepius ab amicis monitus fui. — Silentio praeterire hac occasione non possum Lexicon Hebraico-Germanicum, nova commodiore methodo exaratum, quod anno 1809, in Praefatione

ad Grammaticam Linguae Hebraicae, subdnbitans promisi, et deinceps quipiam, jam oretenus, jam per literas, a me petebant; omnibus enim his amicis et aliis quoque, qui fortasse hoc opus exspectant, diserte dicendum esse censeo, coeptum illud quidem fuisse, sed perfici et edi non potuisse, quia temporum ratio impediebat; nunc autem jam non est, cur desideretur, postquam Gesenius Lexicon Hebraico-Germanicum edidit, fere in omnibus eadem methodo, qua meum scribere coeperam, exaratum. Qui vero a me petierunt Lexicon Hebraico-Latinum in usum Hungarorum, qui linguam Germanicam non callent, meminerint, numerum emtorum operis hujus generis multo esse minorem, quam qui sumtus, in tantum opus faciendos, refundere posset, ideoqne non fore ullum bliblio-polam, qui opus suscipere, et periculum subire vellet, praesertim hac nostra aetate, qua libri, in nostris regionibus editi, eodem fere, quo exteri, pretio veneunt, ut commodum sperandum sit exiguum aut nullum, si Lexicon intra limites nostros typis detur; unde liquet, consilio huic locum non esse.

Dedi 1. Novembris 1811.

Praeliminaria Hermeneuticae.

§. 1.

Intelligere.

Qui librum legit, cupit intelligere, id est, perspicere, quae author sensit, et ideo verbis expressit, ut lectores, quibus scripsit, perciperent. Atque id in libris quidem recentioribus non est operosum, si modo lingua et res disciplinaeve, quae tractantur, sint cognitae, atque stilus sit planus et perspicuus; quodsi tamen alterutrum deest, non raro haeremus, aut nonnunquam etiam intelligere nobis videmur, quae repetita lectione nos minime intellexisse deprehendimus. Id ipsum longe frequentius est in lectione librorum antiquorum, sicut et ipse „Casau„bonus (ὁ πανυ) in intelligenda scriptorum antiquo„rum oratione saepe sibi accidisse dicit, ut cum „solus sibi legeret, sibi videretur plane intelligere; „cum autem perspicuis et planis verbis explicandi

„necessitas oblata esset, fraudem sibi fecisse in„telligeret" *). Neque id mirum; authores quippe antiqui, qui suis coaevis scribebant, et ab ipsis intelligi volebant, lingua et stilo utebantur tum temporis in illa regione usitato, et res tractabant aut attingebant, lectoribus suis non prorsus ignotas, posterorum vero innumeras difficultates et infinita errandi pericula, nec praevidere, nec praecavere poterant; nunc autem, nemo omnium unus linguas illas antiquas peregrinas et mortuas, atque omnes res antiquorum domesticas, politicas, religiosas, literarias, artificiales, geographicas et chronologicas, ita comprehensas, ac sibi familiares et semper animo praesentes habet, sicut linguas vivas et vernaculas, ac res omnis generis tenemus, quibus nostro aevo et sub nostro coelo utimur. Hac de caussa ad rem adprime pertinet, quod olim a Cl. Ernestio monitum fuit, in omni librorum antiquorum lectione primum esse, discernere, quid intelligas, quid non intelligas, et inquirere, cur non intelligas.

Si id de omnibus libris antiquis, profecto multo magis de sacris Bibliis valet; sunt enim hi libelli non solum antiqui, sed partim omnibus aliis antiquores, et linguis non solum peregrinis et mortuis, sed etiam magna ex parte deperditis et prorsus singularibus, nostrarum permultum dissimilibus,

---

*) Sic refert Cl. Ernestius Preaf. ad T. IV. Opp. Cic. p. XI. seq.

exarati, in quibus quam plurimae voces sunt polysemae, et notiones aliae quidem abstrusae, aliae autem aliis, quam in nostris linguis, limitibus circumscriptae, et jam latiores, jam angustiores; frequens vocum constructio a nostra longe diversa; singulares phrases et loquendi formulae, quas, si de verbo reddideris, nihil, aut ambiguum, aut obscurum, aut falsum quidpiam dixeris; permulti tropi a nostris longissime distantes, et figurarum quoque orationis non raro alius usus. Accedit, quod etiam permultae res, quae vocibus designantur, aut a quibus similitudines ducuntur, vel tropi depromuntur, aut ad quas alluditur, in tanto et temporum et locorum intervallo quam plurimum differant ab iisdem rebus nostris, voce linguarum nostrarum respondènte designatis, quas si antiquis et peregrinis illis substitueris, exitum persaepe non invenies. Erant denique antiquis illis temporibus et in illis regionibus, in quibus libri sacri scripti fuerunt, aliae rerum publicarum et ecclessiasticarum formae, alii earundem ministri, alii mores, aliae consuetudines ritusque publici et privati, aliae geographicae locorum rationes et compellationes, alia sentiendi et cogitandi ratio, atque infinita alia antiquorum populorum, temporum, locorum, rerum et personarum adjuncta a nostris admodum discrepantia, quae scriptores sacri non exponunt, sed persaepe, ut primis lectoribus aliunde notissima sumentes, respiciunt, aut verbo duntaxat obiter tangunt. Quae omnia, ut aceam singularem

de religione loquendi modum, et rerum quarundam, praesertim in N. F. occurrentium, sublimitatem, nisi clare cognita sint, lectio Bibliorum aliter cadere non potest, nisi ut lector crebro laboret, crebrius erret, et creberrime omne errandi periculum adeat, aut opinetur se percepisse quod author expressit, ubi a vero longe aberravit, vel obscurum quidpiam et indefinitum cogitavit, quod non comprehendit.

Quam ob rem lector Bibliorum, qui sensa authorum sacrorum adcurate percipere serio cupit, nunquam in solis verbis obiter adquiescat, sed et notiones verborum, et res ipsas verbis designatas, quae et quales sint, diligentur inquirat et plene comprehendere studeat, quod ut consequatur, necesse est, ut vastissima et subtili non solum linguarum, sed etiam historiae et earum omnium rerum historicarum, quas nomine antiquitatum complectimur, cognitione instructus sit. His duobus punctis omnis fructuosa et Bibliorum et aliorum antiquorum librorum lectio nititur, nec amplius quidquam requiritur, nisi clara cognitio et rectus usus ejus logicae partis, quae de compositione et interpretatione propositionum praecipit. De illa linguarum scientia Introductio generalis in libros Veteris et Novi Foederis agit, hanc antiquitatum suppellectilem Archaeologia Biblica suppeditat, ut nobis non relinquatur nisi ultimum, nempe docere universales leges rectamque ipsarum usum, atque cautiones, quas observare oportet, ut animus in lectione sacrorum librorum Veteris et Novi Foederis, non omni

vento, jam huc, jam illuc fluctuet, sed gubernaculum teneat, quo sapienti cum consilio utatur.

Quanta animi intentione cavenduum sit, ne in verbis utcunque perceptis haereas; et quantopere enitendum, ut verborum notiones, seu potius res ipsas verbis designatas comprehendas, paucis et obviis exemplis illustrabo. Sic nihil magis vulgare, quam בַּיִת, οἶκος, domus; בֵּית אֵל, הֵיכַל יְהוָה, οἶκος θεοῦ vel κυρίου, domus Dei, palatium Jehovae, seu templum; חַלּוֹן, θυρίς, fenestra; עִיר, πόλις, urbs; haesitabis tamen in pluribus Bibliorum locis, nisi cogitaveris domum orientalem, templum antiquum et inprimis Jerosolymitanum, fenestram, et urbem antiquam orientalem, ut nihil dicam de eo, urbes passim sisti ut virgines, filias, uxores, viduas, prostitutas etc. Si de animalibus, de arboribus et plantis, de lapidibus et gemmis non teneas nisi nomina, nec ubi proprie, nec ubi inproprie usurpantur, quidquam intelligis. Nisi cognoveris, quid geographice sibi velit ascendere, descendere, antica, postica, dextera, sinistra etc., et quid sensu militari sit exire, ascendere, in permultis locis caecuties. Ita quoque non sufficit novisse דֶּרֶךְ, ὁδός, esse viam, sed porro perspicere oportet, viam hominis esse actiones ejus et rationem agendi, atque etiam conatum et molimina, ut Ps. 1, 1. via peccatorum est perversorum ratio agendi; v. 6 autem via justorum seu proborum, et via injustorum seu improborum, conatum et molimina utrorunque significat, conf. et Ps. 119, 5.; via Dei jam est ratio, qua Deus gubernat homines, jam ratio agendi a Deo mandata, et ipsa quoque religio, quae etiam via justitiae seu veritatis dicitur, in qua venit, i. e. quam adportavit Johannes Baptista, Matth. 21, 32. conf. quoque Act. 9, 2. 18, 25. 26. 19, 9. 23. 22, 4. 14. 22. Si noveris קֶשֶׁת esse arcum, et דָּרַךְ calcare, vertes quidem דָּרַךְ קֶשֶׁת calcavit arcum, et ex serie orationis forte col-

liges, idem esse ac tetendit arcum, ast qua ratione arcus per calcationem tendatur, non perspicies; facile quidem observabis, a scriptoribus Arabibus alteram extremitatem arcus dici manum, alteram vero pedem, unde colliges, in illam agere manum, in hanc vero pedem, cum arcus tenditur; ast qua ratione id fiat, ignorabis; quod si autem cognoveris, quod refert Azara Reise in Südamerika Th. II. S. 46., Americanos tendentes arcum, alteram extremitatem ejus pede intrudere in terram, et alteram manu sinistra comprimere, et dextera nervum adstringere: rem ipsam, hac phrasi expressam, comprehendes. Sic etiam in pluribus locis laborabis, si de בֵּרֵךְ, ευλογειν, solum tenueris benedicere, nec observaveris, proprie esse bona alicui vel de aliquo dicere, et quia id fit quoque salutando, valedicendo, laudando, hinc verbum omnes has notiones induere; usurpatum vero de Deo, qui non verbis bona adprecatur, sed opere confert, idem esse ac bona, beneficia et felicitatem conferre. Hinc e contrario קִלֵּל et אָרַר, καταραομαι, maledicere, facile explicabis, qnod nequaquam tam horribile sonat, quam nostrum maledicere, conf. Jos. 9, 3. Sam. 14, 24. 28. 34. Gal. 3, 10. 13. Hebr. 6, 8. Jac. 3, 9 — 10. Ita denique etiam ex solis verbis non percipitur, quid reapse sit, si Deus dicitur, in bonam vel malam partem venire ad aliquem vel aliquos, aut esse cum aliquo, et alia similia.

§. 2.

Interpretari.

Qui authorem intelligit, et res ab eo expressas perspicit, ac alioquin affatim excultus et exercitatus est, poterit, quae legit, interpretari, id vero est, in alia, praesertim vernacula lingua clare enunciare, seu vertere, atque etiam adcuratius circumscribere, illustrare, et argumentis firmare, seu enarrare. In versione non tantum sensa

authoris adaequate exprimenda sunt, sed idem etiam orationis genus et color conservandus est, quod, praeter vastam linguae utriusque et rerum notitiam, porro acumen ingenii, acre judicium, magnam in hac re peritiam, ac multam exercitationem requirit. In enarratione vero non solum sensus authoris clarioribus verbis exponendus et argumentis comprobandus est, sed etiam res vel doctrinae, quae traduntur, nequaquam generatim, aut quaepiam a longe arcessendo, aut ex nostro aevo et climate, sed ex aetate et regione authoris, non minus dilucide quam subtiliter, explicandae sunt, ut enarratio sit non tantum grammatica, sed etiam historica et historico-theologica, quae triplex interpretatio ab aliis quidem unius grammaticae interpretationis nomine comprehenditur, et nequaquam immerito; interpretatio enim, quae non est historica, neque grammatica jure dici potest; quia vero nostra aetate sunt, qui grammatice interpretari sibi videntur, cum aliena, a longe arcessita, et e libris, antiquis quidem, sed tamen justo recentioribus et ambiguae fidei, imo ex philosophia nostrorum temporum mutuata et olim ignorata, authoribus sacris substernunt: satius est, quodlibet interpretationis genus mox in limine disertis verbis severissime exigere. Qui, quod legit, non novit vertere nec enarrare, etsi aliunde praesidiis ad id necessariis non destitutus, non intellexisse, sed obscurum quid, aut ambiguum cogitasse convincitur; contra autem, qui et vertit et enarrat, non continuo recte intellexisse se, glo-

riari potest, quia et sensus, authori invito obtrusus, verti et enarrari potest, quod aptissime de lectoribus Ciceronis monuit Cl. Ernestius: „in hoc „maxime docentes peccare, et legentes Ciceronem „errare, cum saepe se vim verborum illi explicasse, hi assecutos esse, sibi temere persuadent, „quod Latina verba totidem fere Germanicis interpretati sunt, aut interpretari possunt." *). Quanto majori jure id de theologis, qui solam Latinam Bibliorum versionem probant et usurpant, dici possit, noverunt omnes, quorum, felix dicam an infelix? imo nonnunquam etiam periculosa eruditio comprehendit, quae multi ignorant.

1) Si interpres grammaticus officio suo rite fungitur, non id solum spectat, quid verba in hac lingua designent aut designare possint, sed quid per ipsa, hic author, ea aetate, in ea regione et in illis adjunctis historicis, primis lectoribus suis exprimere voluerit, ne authori sensum, de quo non cogitavit, aut prorsus non potuit cogitare, obtrudat; quare interpres, qui vere est grammaticus, simul est historicus. Videas tamen passim theologos nostros sensum quemcunque grammaticum, dogmatibus suis adcommodatum, arripere, nec suspicari, eundem antiquis illis authoribus atque temporum et locorum adjunctis historicis fortasse non congruere, aut omnino repugnare; multo minus in mentem illis venit, sensum quemcunque argumentis evincendum et propugnandum esse. **) Non minis pec-

*) Ernestius in Dedic. T. I. Opp. Ciceronis p. LXXVI.

**) Conf. Jahn Gramm. Lingu. Hebr. praefix. Disput. p. XI. — LXIII.

carit non pauci nostrae aetatis theologi, qui Bibliis sensum inferunt ex philosophia critica petitum, aut aliunde longe accersitum, quos strenue oppugnat D. Bretschneider in libello Historisch-Dogmatische Auslegung des N. T. 1806. §. 11 — 12. p. 41 — 52. — Interpretatio historico-theologica sensum locorum, quae doctrinam a nostra aetate abludentem, ideoque obscuram enunciant, aut magis indicant quam eloquuntur, ex mente antiquorum illustrat. Sic si Ps. 119, 18. 129. leges morales divinae dicuntur נִפְלָאוֹת et פְּלָאוֹת mirabiles, nequaquam, sensus mysticus innuitur, sed illud mysterium antiquorum indicatur, quod in L. Job. et Ps. 37. 39. 49. 73. tractatur, multos probos esse infelices, et inprobos felices, quo fit, ut observatio legum, quae in quocunque rerum conflictu veram hominis felicitatem non potest non promovere, non raro tamen videatur esse noxia; accidit nihilominus interdum, ut posthac experiamur, per ipsam nos a pejore sorte mirabiliter fuisse ereptos, aut in feliciorem etiam statum deductos, quem non suspicabamur, quod sequenti mox v. 130. exprimitur, פֵּתַח דְּבָרֶיךָ יָאִיר explicatio verborum, seu mandatorum, tuorum illuminat, nempe mentem, — Si Paulus 1. Cor. 15. resurrectionem corporum argumentis propugnat, quae non videntur evincere nisi immortalitatem animorum: ratio theologica est, quod Sadducaei, quorum sententiam Paulus petit, contendebant, animum resultare ex compositione et dispositione machinae corporis humani, et ea pereunte necessario perire, nec ulla ratione fieri posse, ut animi perdurent, aut corpora resurgant, conf. Matth. 22, 31. seqq. Marc. 12, 25. seqq. Ita etiam Epistola ad Romanos ex theologia Judaeorum explicanda est. Cur Christus in hac vita mortali, nunquam dissertis verbis dixerit, se esse Deum, uti persaepe quaesiverant increduli, rationem theologicam jam olim reddidit Theodoretus Comm. in Ep. ad Rom. 1, 4. *).

---

*) Verba Theodoreti, in Latinum versa, sunt: Ante crucem et passionem Dominus Christus non solum aliis Judaeis,

2. Interpretatio mythica, quae veritatem historicam factorum extraordinariorum V. et N. F. tollit, superstruitur analogiae aliarum gentium, quarum antiquior historia est mythologica, acsi Hebraicae genti nihil esset privum, cum tamen nemo non videat, ei etiam alia quamplurima esse prorsus peculiaria; sed de hac interpretatione, si hoc nomine digna est, agendum est in Introductione in V. et N. F. *). — Interpretatio *psychologica*, a Doct. Paulusio in

---

sed ipsis etiam Apostolis non videbatur esse Deus. Offendebantur enim rebus humanis, quum eum comedentem et bibentem et dormientem laborantemque viderent; et ne ejus quidem miracula eos ad hanc sententiam adducebant. Jam enim, quum primum illud, quod in mari factum est miraculum, vidissent, dicebant: quis est hic homo? nam et mare et venti obediunt ei. Et propterea Christus etiam eis dicebat: habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modo; quando autem venerit ille spiritus veritatis, ille vos deducet in omnem veritatem. Et rursus: conquiescite hic in hac urbe, donec induti fueritis potentiam ex alto, quum venerit Spiritus S. super vos. Post resurrectionem autem et ascensionem ad coelos, quum venisset Spiritus S., et Apostoli omnis generis miracula, venerabili Ejus nomine invocato, efficerent: omnes, qui crediderunt, cognoverunt, Eum esse Deum et unigenitum filium Dei. Hoc ergo quoque docuit divinus Apostolus, quod, qui filius David secundum carnem dictus est, declaratus et demonstratus est (ὡρίσθη καὶ ἀπεδείχθη) filius Dei per potentiam, quae a Spiritu S. exercebatur, postquam Dominus noster Jesus a mortuis resurrexisset.

*) Confer. Jahn Introd. in LL. V. F. P. II. §. 18 — 18. et Biblische Archaeol. I. Th. Vorrede S. 10 — 43. Heſs Bibliothek der heil. Gesch. II. Th. S. 154 — 254. Bonnet Recherches sur le Christianisme Chap. 17. p. 179 — 219.

Philol. Krit. Comment. N. T. adoptata, veritatem quidem historicam factorum extraordinariorum tuetur, sed ea additis adjunctis historicis, mente et cogitatione conceptis, ita extenuat, ut ipsa transformet in ordinaria, et ut id consequatur, non veretur, vim inferre verbis et sententiis; quare ferenda non est. Conf. Magazin für christl. Dogm. u. Moral. Tübingen IX. S. 130 — 156. u. X. S. 199 — 220. u. XI. S. 41 — 52. — Interpretatio moralis, quam Kantius suasit theologis, mox, ut innotuit, a viris summis rejecta fuit, non desunt tamen quidam adhucdum patroni; sed de hac infra recurret sermo.

§. 3.

Hermeneutica Biblica.

Recte intelligere et interpretari vertitur, ut ex dictis liquet, in certis regulis; et systema regularum interpretandi scripturam, dicitur Hermeneutica Biblica. Regulae illae non sunt quidem aliae, quam quae in interpretatione profanorum librorum observantur, variat tamen non parum generalis earum forma et applicatio, quia usus loquendi, ex quo pendent, sacris Bibliis est peculiaris; et praeterea interest etiam, quod interpres profanorum in sensu legitime eruto seu veritate hermeneutica adquiescat, nihil sollicitus de veritate objectiva vel historica, ut non vereatur, authorem suum erroris condemnare, quod in sacros scriptores audendum non est.

Si Hermeneutica in subjecto spectatur, est scientia recte interpretandi Biblia, nisi majori jure artem dixerimus; nam neque regulae interpretandi, neque usus earum, mathematice definiri possunt; et facultas rite interpretandi,

sicut omnes aliae artes, posita est in subtili et limata acie judicii, et in acumine ingenii liberaliter exculti, et adquiritur augeturque solerti animi intentione et indefessa exercitatione. Quare mirandum non est, hanc facultatem permultis theologis, quos et ingenium et judicium fecit conspicuos, sed ab hac, regulis adstricta, exercitatione abhorruisse constat, adeo defuisse, ut, quod jam conquestus est Hieronymus, depravarent sententias, et ad suam voluntatem, scripturam traherent repugnantem *), quamquam reticendum non est, ipsos etiam linguarum et rerum notitia, seu, ut dicimus, necessaria eruditione caruisse.

Regulae interpretationis et in Veteri et in Novo Foedere observandae, Hermeneuticam Biblicam generalem; quae vero vel Veteri vel Novo Foederi propriae sunt regulae interpretandi, specialem constituunt Hermeneuticam, quae in Introductione in V. et N. F. pertractanda est; nos solam generalem explicabimus, cui separationi locum dedit dispendium temporis et laboris, qui sine causa geminatur, si haec generalis Hermeneuticae Biblicae pars, in studio literarum V. F. pertractata, demum in curriculo studii N. F. repetatur.

Hermeneutica dici etiam potest exegetica, scilicet ars; exegesis autem dicitur actus seu exercitium Hermeneuticae; subdubito tamen, an non majori jure diceremus

*) Hieronymus Epist. ad Paulinum.

enarrationem, nam ἐξηγεῖσθαι est exponere, enarrare, disserere; sed in re tam levis momenti nolim esse novator.

§. 4.
Utilitas et necessitas Hermeneuticae Biblicae.

Quemadmodum logica naturalis, ita quidem etiam hermeneutica, naturae hominis insita est; si autem nihilominus viro erudito utile et necessarium est logicae artificialis systema, ut clare et distincte cognoscat leges cogitandi et loquendi, ita etiam theologo, regulas interpretandi Biblia, in systema redactas, clare et distincte cognoscere, utile et necessarium esse, qui non videt, nae nihil omnino ille videt. Erant quidem multo ante, quam Hermeneutica ad liquidum perducta esset, clari sacrae scripturae interpretes, viri summi, qui sola natura duce, et linguarum ac rerum cognitione adjuti, multa vera viderunt, et in scriptis suis consignarunt; verum non omnes acceperunt a Domino quinque talenta, et nihilominus virorum ecclesiasticorum omnium est, Biblia, ex quibus doctrinam deducunt et stabiliunt, recte intelligere et interpretari. Id sola natura duce, quae regulas interpretandi suggerit obscure et ambigue, consequi velle, opus est aleae plenum, quod nec viros summos ab erroribus, qui facile caveri poterant, tutos praestitit. Diligens bonorum interpretum lectio, et frequens exercitatio exegetica, permultum quidem confert, lacunas tamen

non paucas relinquit, quae occurrente occasione observantur. Ita quidem est, ut supra diximus, rectam interpretationem pendere ab usu loquendi, et ab adjunctis historicis temporum, locorum et personarum; sed hae ipsae duae res, tot alias generales observationes, ad acuendam attentionem, reflexionem et judicium necessarias, requirunt, quibus inveniendis et firmandis omnes eruditorum coetus tot seculis pares vix fuerunt, tantum abest, ut omnis tiro eas ipse eruat, juste definiat et argumentis comprobet, aut solo usu et lectione interpretum condiscat, in quibus quidem sparsim occurrunt, nec tamen justis limitibus circumscribuntur, nec argumentis congruis suffulciuntur, neque vis probandi definitur. Si autem in systema rediguntur regulae, et idoneis argumentis comprobantur: non solum sibi mutuo lumen affundunt, sed earum quoque vis probandi determinatnr, firmatur et illustratur, ut si forte interpretatio in dubium revocetur, solidum fundamentum, cui innitaris, praebeant. Necessariam itaque esse theologo Hermeneuticam, nemo, nisi harum rerum ignarus aut incuriosus, negaverit.

Audiebam inde ab anno 1777, quo studium Biblicum, agente immortali Rautenstrauchio, in nostras regiones introductum est, quam plurimos adversarios, qui non modo necessitatem, sed etiam utilitatem hujus studii impugnabant; acerrimi autem erant illi, qui in juventute se operam his literis navasse, nec tamen ullam utilitatem retulisse conquerebantur. Longe absum, ut in omnes hos et illos retorqueam illud: εν οις αγνοȣσι βλασφημȣντες, aut postremis in

memoriam revocem, quod scribit acutissimus explorator actionum humanarum: „en general ceux, qui, sans succés, ont cultivé les arts et les sciences, deviennent, s' ils sont elevés aux premiers postes, les plus cruels ennemis de gens des lettres. Pour les decrier ils se mettent à la tête de sots; ils voudroient anneantir le genre d'esprit, ou ils n'ont pas reussi. On peut die que, dans les lettres, comme dans la religion, les apostats sont les plus grands persecuteurs." Longe, ut dixi, absum et semper aberam, ut haec regererem, sed e contrario hos omnes adversarios, non solum aequo animo ferebam, sed etiam excusabam; sunt enim, ut Cicero ait, judicia hominum libera, quocum et sentio, cum scribit: „et illi pugnant, et quidem vicinorum fidem implorant; multi autem sunt, qui statim convolent Ego is sum, qui dicam, me non laborare, actum habiturum quod egerint. Quid enim? de bello Punico agitur?" Jn turba adversariorum me solus movit Dr. Klüpfel, Prof. Dogm. Friburg., qui Praefat. ad Commonit. Vincentii Lirin., quod paucos ante annos recudi curavit, studio Biblico novas et adeo discrepantes interpretationes exprobrat, et magis traditionem urgendam esse, diligentissime monet. Mirum profecto, Professorem Dogmaticae fuisse immemorem, ecclesiam Anglicanam, non minus quam nostram, uti traditione, ex ea autem eruere dogmata nobis adversantia; taceo, quae Antonius de Dominis in opere de Republica Christiana, ex traditione deduxit; unde liquet, traditionem, qualis ex ipsis fontibus, scilicet ex scriptis Patrum ecclesiae, hauritur, minime esse in omnibus adeo claram et definitam, qualem adversarius hic praetendit. Quodsi traditionem, seu sententias Patrum tam diligenter, uti Biblia, excutere velimus, nova opus erit hermeneutica patristica; neque enim tam facile est, ut vulgo putatur, illos antiquos libros ecclesiasticos recte intelligere et interpretari, ut negotium hoc sine regulis clare cognitis feliciter cadere possit. Quod si factum fuerit, vereor, ne major diversitas sententiarum in explicanda traditione oriatur, quam in interpretatione S. Scripturae observatur, de quo vel Dallaeus in opere de usu Patrum,

cere potuisset Professorem Dogmaticae. Ego profecto, si quis alius, traditionem genuinam veneror, quae non pauca dubia tollit; sed id ab ea expectare nequeo, quod video eam praestare non posse, finem scilicet omnium controversiarum. Si theologi dogmatici candide agere velint, agant, quod ego egi; nam et ego olim tradidi dogmaticam, sed ei adjungebam studium Biblicum, cui dudum adsueveram. Navent Theologi Dogmatici serio operam literis Biblicis, et interpretes exorbitantes, ex usu loquendi, ex antiquitatibus. et ex regulis hermeneuticis subtiliter confutent et redarguant, et salva et integra res erit. Conf. Dr. Arigleri Orat. Academ. 1809 Viennae.

§. 5.

Origines et incrementa Hermeneuticae.

Cum aucta ecclesia Christiana permultos requireret doctores populi, et interpretes sacrae scripturae, quae in liturgia praelegebatur et explicabatur, et hi certa norma interpretandi destituerentur: non potuerunt non oriri et divulgari diversissimae interpretationes, et persaepe sibi invicem oppositae. Id incommodum observatum fuit seculo IV.; quare Tichonius Donatista septem regulas interpretationis elucubratus est, fere omnes ad sensum mysticum spectantes, quas dein Augustinus L. III. de Doct. Christ. recensuit, emendavit et auxit, neque tamen ipse sibi in operibus suis obtemperavit, neque defectu suppellectilis hermeneuticae obtemperare potuit. His Adrianus in Isagoge Sacrarum literarum, Cassiodorus in Institutione ad Divinas Lectiones, et Junilius de Partibus Literarum Sacrarum, oppido pauca,

quae Hermeneuticam promoverent, adjecerunt. Sequentibus seculis in hac disciplina, sicut in aliis, nihil actum est usque ad seculum XVI, quo novae controversiae gravissimae, et interpretationes antiquis oppositae, attentionem excitarunt, et docuerunt, necessaria esse firmiora interpretationis principia. Abhinc coeperunt eruditi naturam interpretationis altius scrutari, et usque ad nostram aetatem quamplurimas sub diversis inscriptionibus elucubrati sunt institutiones Hermeneuticae, quarum aliae de utroque Foedere, aliae vero de Antiquo, aliae de Novo Foedere singillatim agunt, quas omnes recenset Ern. Frid. Carol. Rosenmüller in opere inscripto Handbuch für die Literatur der Biblischen Kritik und Exegese, IV. Th. S. 23 — 164. Goettingae 1797 — 1800. Progressus tamen erant primum tenues et tardi, donec seculo demum XVIII. res subtilius examinaretur, et solidiora fundamenta jacerentnr, quibus tamen iterum nostra aetate plures, qui soli rationi sibi relictae confidunt, illudere quam insistere malunt, ut huc adcommodari fere possit, quod Cicero de eloquentia suae aetatis scripsit: „oratorum quidem „laus ita ducta ab humili, venit ad summum, ut „jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, „senescat, brevique tempore ad nihilum ventura „videatur." *). Accidit omnino, quod Ciceroni visum est; eandem tamen sortem Hermeneuticae,

*) Cicero Tusc. Quest. II. 5.

praecavebunt viri non pauci, iique doctissimi, qui rem ipsam bene noverunt et firmiter tenent, atque inania verba contemnunt.

Opera hermeneutica, vel ob antiquitatem, vel ob praestantiam, memoratu digniora sunt fere sequentia:

Hermeneuticae Catholicorum.

Santis Pagnini Lucensis Isagogae ad sacras literas; et Isagogae ad mysticos S. Scripturae sensus. Lugduni 1536 f.

Ambrosii Catharini Claves duae ad aperiendas intelligendasque sacras scripturas. Lugd. Bat. 1548. 8.

Guillelmus Lindanus de optimo sacras scripturas interpretandi genere. Coloniae 1558. 8.

Sixti Senensis Ars interpretandi scripturas sacras absolutissima. Venetiis 1566. f.; opus ob praestantiam saepissime recusum. Conf. Rosenmülleri Handbuch für die Literatur etc I. Th. S. 93 — 96.: et Rich. Simon Histoire Critique du V. T. L. III. Chap. 17.

Hofmeisteri Canones ad interpretandas sacras literas. Paris. 1573. 8.

Jos. Acosta de vera scripturas interpretandi ratione, in Opere de Christo revelato. Romae 1590. 4.

Martini Ant. del Rio Pharus sacrae sapientiae. London. 1608. 4.

Basilii Ponce de Leon Quaestiones quatuor expositivae. Salamanticae 1611.

Henr. Marcelli Canones explicandae scripturae. Herbipoli 1653. 12.

Joh. Neercassel Tractatus de lectione sacrarum Scripturarum Emmerici. 1677.

Jos. Metzgeri Institutiones sacrae scripturae. Salisburgi 1680.

Dom. Jean Martianay. Traité methodique, ou maniere d'explique l'Ecriture par le secours de trois syntaxes, la propre, la figurée, l'harmonique; — et Methode sacrée pour apprendre et expliquer l'Ecriture sainte par l'ecriture même. Paris 1704. 12. et 1716. 8.

Sebast. Seemiller Institutiones ad interpretationem s. scripturae. Augustae Vindelicorum 1779.

Jos. Jul. Monsperger Institutiones hermeneuticae sacrae V. T. Vindobonae 1776, recus. 1784. 8.

Steph. Hayd Introductio hermeneutica in sacros N. T. libros. Viennae 1777. 8.

Ad. Vizer Praenotationes hermeneuticae N. F. Tyrnaviae 1777. 4.

Christoph. Fischer Institutiones hermeneuticae N. T. Pragae 1788. 8.

Georg. Mayer Institutio interpretis sacri Vindobonae, 1789. 8.

Hermeneuticae Acatholicorum.

Math. Flaci Clavis Scripturae sacrae. Basileae 1567. fol.

Joh. Gerhardi Tractatus de legitima S. Scripturae interpretatione. Jenae 1610 et 1663. 4.

Wolfg. Franzii Tractatus Theologicus novus et perspicuus de interpretatione Scripturarum S. S. maxime legitima. Vitenbergae 1610. 4.

Sal. Glassii Philologia Sacra. Jenae 1623. 1643, Francof. et Hamb. 1653, et dein saepius recusa, novissime a Dathio ann. 1776., et a Bauero emendata, Lips. 1795 — 1797., quae adhucdum legi meretur.

Conr. Danhaueri Hermeneutica Sacra 1654. 4.; et Idea boni interpretis et malitiosi calumniatoris. 1670, 8. Argentorati. Eodem tempore prodiit Sixtini Amamae Antibarbarus Biblicus, in quo vitia interpretationis illius aetatis arguuntur.

Theod. Hacspani Interpres errabundus, h. e. brevis disquisitio de caussis errandi interpretum et commentatorum S. Scripturae 1645 8.

Joh. Olearii Theologia exegetica 1674. 8.; et Elementa Hermeneuticae sacrae. 1699. Lips.

Joh. Jac. Rambachii Institutiones hermeneuticae sacrae, Jenae 1723.; et dein octies recusae, a complemento materiarum laudatae, minus tamen practicae esse videntur.

Joh. Alph. Turretinus de Sacrae scripturae interpretatione, Traj. 1728.; et cura Telleri Francof. ad Viadrum 1776. 8., laudes immeritas tulit.

Baumgarten's Unterricht von der Auslegung der H. Schrift, Halle, 1742. 1745. 1751.

Dan. Wittenbachii Elementa Hermeneuticae Sacrae, eo, quo in scientiis fieri solet, modo proposita. Marburgi, 1760. 8.

Joh. Aug. Ernesti Institutio Interpretis N. F. 1761, 8. recusa 1792. 8. Opus excellens.

Toelner's Grundrifs einer erwiesenen Hermeneutik dei h. Schrift. Züllichau, 1765, 8; author, ut in aliis suis tractatibus, subtilis.

Gottl. Traugott Zachariae Einleitung in die Auslegungskunst der h. Schrift. Goettingen 8. Opus posthumum.

Joach. Ehrenfr. Pfeifferi Institutiones Hermeneuticae sacrae, veterum et recentiorum, et propria quaedam praecepta complexae. Erlangae. 1771.

Joh. Sal. Semleri Apparatus ad liberalem V. T., — et N. T. interpretationem. Halae. 1767 et 1777. 8.

Georg. Laur. Baueri Hermeneutica Sacra V. T. Lipsiae 1797.

Gottl. Wilhelm Mayer's Versuch einer Hermeneutik des A. T. 2 Th. in 8. Goetting. 1779 — 1780; opus utile, ex aliis collectum, multa, quae ad Introductionem pertinent, immixta exhibet.

Sam. Frid. Nath. Mori Hermeneutica N. T., Acroases academicae, editioni aptavit Eichstaedt, Lips. 1797., in ephemeridibus literariis non laudatae.

Georg. Lor. Bauer's Entwurf einer Hermeneutik des A. u. N. T. Leipz. 1799.

Georg. Fried. Seilers Biblische Hermeneutik des A. u. N. T. Erlang. 1800. 8.

Chr. Dan. Beckii Monogrammata Hermeneutices librorum N. F. P. I. 1803. 8. Lips.

Karl Gottl. Bretschneider's Historisch-Dogmatische Auslegung des N. T. Leipz. 1806. 8. Opusculum nostrae aetati adprime congruum.

Hermeneutica Generalis V. et N. F.

Caput I.

De sensu.

§. 6.

S e n s u s.

Verbis singulis respondent n o t i o n e s , et ex integris propositionibus et orationibus prodit s e n s u s, qui itaque est nexus seu relatio mutua notionum, quas author verbis designavit; vel quod aliis placet, et idem est, conceptus animi, quem author verbis expressit, et in lectoribus excitare voluit. Hic sensus, sive ex propria, sive ex impropria et tropica vocum significatione aut allegorica oratione oriatur, est immediatus, grammaticus, historicus, literalis, et dicitur etiam sensus literae. Qui sensum a notionibus non distinguunt, et singulis quoque verbis sensum tribuunt, ut Cl. Erne-

stius, Latinorum quidem usum loquendi non laedunt, minus tamen clare et adcurate loquuntur *). Qui vero sensum literae a sensu literali discreverunt, ut ille in notionibus singulorum verborum, ut edere, carnes, alter, hic vero in notionibus verborum per orationem invicem nexis, locum habeat, ut edere carnes alterius, pro calumniari, et malis alterius delectari **), vim nominum minime perspexerunt. Nam ex indole linguae Latinae sensus literae, et literalis, prorsus synonyma sunt, ut taceam, singula verba in se, et sine nexu et relatione mutua, spectata, non proprie sensum, sed notiones exhibere.

§. 7.

Ex usu loquendi eruendus.

Scriptores sacri non minus ac profani, lingua hominum suae aetatis scribebant, et ab hominibus coaevis intelligi volebant, quare non poterant non observare leges loquendi eo tempore vigentes, et vocibus eas notiones nectere debebant, quas usus illius aetatis et gentis probaverat. Id valet etiam de notionibus tropicis, et de allegoriis, saltem eatenus, ut si tropi forte novi erant et usu nondum triti, ex natura rerum, a quibus ducebantur, et analo-

---

*) Conf. Morus Diss. Theol. P. I. p. 61 — 98. de Discrimine significationis et sensus.

**) Job. 19, 22. Ps. 27, 2. conf. Meidani Proverbiorum pars 1795. Lugd. Bat. p. 7.

gia, sine difficultate intelligi possent. Hinc partes interpretis sunt, illum notionum cum verbis nexum, et mutuum earum in oratione respectum, usu illius aetatis et gentis probatum, eruere. Usus itaque loquendi primorum lectorum et ipsius authoris, primum et summum est Hermeneuticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendent. Nequaquam igitur fluctuans aut arbitraria est interpretatio, ut quipiam opinari videntur, sed adstricta regulis necessariis et immutabilibus, quae non a priori pro voluntate deductae, aut ad lubitum inventae, sed ex usu loquendi illius aetatis et regionis, tanquam facto, quod infectum fieri nequit, erutae sunt.

§. 8.

Usus loquendi.

Usus loquendi cujusvis linguae et nationis, judicio Cl. Ernestii, adjunctis sequentibus determinatur, quae sedulo observasse, de historicam interpretationem permultum confert.

I. Tempore; aliter enim verba quaepiam hoc, aliter insequenti tempore usurpantur *). Sic אִי • אִיִּם **) in libris antiquioribus significat om-

*) Horatius ad Pisones Ep. II. 3. v. 69 — 71: Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, Quem penes arbitrium est, et jus et norma loquendi.

**) Ab. Arab. اوى se recepit aliquo commorandi caussa, diversatus est, pro mansione accepit.

nem regionem habitatam, inprimis omnia occidentalia littora maris mediterranei, ac sedes posterorum Japheti, nempe Asiam septemtrionalem et minorem, atque Europam, nihilominus etiam regiones alias. Gen. 10, 5. Jes. 11, 11. 20, 6. 23, 26. 24, 15. 42, 15. 66, 19. Ezech. 26. 15. 18. 27, 3 — 7. 15. 35. 36, 6. etc.; recentiori autem aevo quoque insulas Esth. 10, 1. et forte Jer. 47, 4. *). Ita porro נְתוּנִים dati, vel donati, Mosi sunt Levitae, Num. 3, 9. 8, 17. 19. 18, 6. Deut. 18, 23., quam notionem ex antiquis monumentis retinuit author 1 Paralip. 6, 32.; ast post exilium hoc nomine sub forma נְתִינִים, veniunt mancipia templo donata, quae a Josepho Archaeol. XI. 3, 10. dicuntur δȣλοι ἱεροι, Ezr. 2, 43 — 59. 70. 8, 17 — 21. Neh. 3, 26. 7, 46. 73. 10, 29, 11, 3. 21. et 1. Paralip. 9, 2. Vox עֵדוּת in Mose significat lapideas tabulas decalogi, tanquam monumentum doctrinam continens, Exod. 31, 7. 18 34, 19. 25, 16. 21. 40, 2.; unde arca, in qua tabulae latebant, dicitur אֲרוֹן הָעֵדוּת Exod. 25, 22. 26, 33 — 34. 30, 6. 26. 38, 35. 39, 15 40, 3. 5. 21.; et אָרוֹן, arca, etiam cum הָעֵדוּת permutatur Exod. 27, 21. 30, 6. Lev. 16, 13.; imo et tabernaculum sacrum, in quo erat arca cum tabulis, vocatur מִשְׁכַּן הָעֵדוּת et אֹהֶל הָעֵדוּת Exod. 35, 21. Num. 1, 3.

---

*) Conf. Joh. Dav. Michaelis Spicileg. Georg. Hebr. exterae P. I. p. 131 — 143. et Suplem. ad Lex. Hebr. p. 68 — 69.

53. 10, 11. 9, 15. 17, 22 — 23, 28, 2.; recentiori autem tempore עֵדוּת jam non tam strictae est significationis, sed quodlibet monumentum designat, nisi quod author 2 Paral. 24, 6. denominationem hanc ex monumentis antiquis, quae excerpsit, retinuerit, et fortasse Ps. 19, 8. 119, 88. Aliud profecto designat vox הָאָבְנַיִם Exod. 1, 16., et aliud Jer. 18, 3.; priori enim loco de parturientibus, posteriori vero de figulo, vas effingente, dicitur. In Libro Ecclesiastis plures occurrunt novae vocum notiones, ut חֵפֶץ pro re vel negotio Eccl. 3, 17. 5, 7. 8, 5; יִתְרוֹן pro lucro et emolumento Eccl. 6, 8. 11.; כָּשֵׁר rectum fuit Eccl. 2, 12. 4, 4. 5, 10. 10, 10. 11. 6., et etiam Esth. 8, 8. Frequentissima phrasis אֱלֹהֵי צְבָאוֹת, vel יְהוָה צְבָאוֹת, nunquam in antiquioribus libris, nempe Pentateucho, Job, Josua, et libro Judicum comparet; quare falluntur, qui interpretantur, Deum exercituum Hebraicorum; nam Hebraei quidem a Mose vocantur exercitus Jehovae, צִבְאוֹת יְהוָה, nunquam vero a subsequentibus authoribus hac honoris compellatione salutantur; quare Jehova non potuit eo primum tempore dici Deus exercituum Hebraeorum, quo Hebraei jam non dicebantur exercitus Dei. — Inde in libris Hebraicis, qui per 12 secula scripti fuerunt, praegrandis nasceretur difficultas, nisi lingua, ex rationibus aliunde notis, perpaucis et levibus mutationibus obnoxia fuisset *). Proderit tamen obser-

*) Conf. Jahn Introd. in LL. V. F. P. I. §. 75. et P. II. §. 12.

vasse, recentiores libros Hebraicos propius ad dialectum Aramaeam accedere. — Libri quidem N. F. non longo temporis spatio conscripti sunt, observandum tamen est, linguam Graecam hujus aetatis etiam ex ea parte, qua in N. F. pura est, jam non fuisse prorsus eandem, quam antiquiores Graeci authores scribebant, sed plures habuisse novas voces, notiones et phrases, partim peregrinas, partim philosophicas, et partim ex antiquioribus verbis compositas vel derivatas, ut *παντοτε*, *ὑποποδιον*, *μεγιστανες*, *ποιειν* pro *διατριβειν*, *μη γενοιτο*, etc.; Persicas, *αγγαρευειν*, *γαζα*, *μαγος*, *παραδεισος*, etc.; Latinas, *κεντυριων*, *κοδραντης*, *ἱκανον ποιησαι* satisfacere, etc.; Aegyptiacas, *σινδων*, *νομος* pro districtu regionis, etc. *).

II. Regione et loco; non solum enim diversae sunt in diversis regionibus linguae, sed eadem quoque lingua pro diversitate regionum et locorum, jam magis, jam minus variat, et in diversas quoque abit dialectos, quae non tantum in quibusdam minutiis literarum et flexionum, sed etiam in in nonnullis vocibus, vocum notionibus et loquendi formulis discrepant. In lingua Hebraica olim dialectos, etsi parum differentes, non prorsus defuisse, conficitur ex Jud. 12, 7.; sed tenebrae antiquitatis, et defectus monumentorum, prohibent, rem altius scrutari. Id vero cuilibet consideranti in aspectum venit, sacros authores in Babylonia degentes, ha-

*) Conf. Sturz de dialect. Maced. et Alexandrin. 1808. praesertim p. 189 — 204. et 148.

bere non solum plures voces peregrinas, sed etiam nonnullis antiquis alias subjicere notiones; uti חַרְטֻמִּים, Gen. 41, 8. 24. Exod. 7, 11. 22. 8, 3. 14. 9, 11., erant Aegyptiis, ut 70 testantur, επαοιδοι, incantatores, qui etiam somnia interpretabantur *); vox enim in his locis procul dubio est Aegyptiaca; ast Daniel 1, 20. 2, 2. eam pro Persico Chardamand, sapiens, de eruditis regis Nebucadnezaris, qui etiam somnia interpretabantur, usurpat. — Dialecti linguae Graecae alioquin notae sunt, sed omnes discrepant a Graecitate Bibliorum judaizante, quae prorsus est singularis, in quibusdam tamen propior est dialecto Alexandrinae, de qua erudite tractavit Sturzius in opusculo de dialecto Macedonica et Alexandr. Edit. II. 1808. Lips. Commemorandi hoc loco quoque sunt Cilicismi Pauli, quos jam Hieronymus ad Algasiam Qu. 10. notavit.

III. Religione, secta et disciplina, cui nunquam desunt peculiares voces, vocum no-

*) Scholz in EichhorniiRepertor. XIII. p. 18. חַרְטֹם derivat ab Aegypticaco ar, esse, facere, praeposito ח loco articuli vel relativi, et tomt, ecstasis, vel tom, quod et dschom enunciatur, δυναμις, virtus, ut חַרְטֹם significet eum, qui vel est in ecstasi, vel qui πραττει δυναμιν, patrat prodigia. Conf. etiam Jablonsky Opuscul. T. I. p. 401 — 404, qui vocem putat esse Hebraeam, ubi tamen radice destituitur.

tiones et phrases. Sic מִנְחָה generatim donum, in religione Mosaica fertum; חַטָּאת generatim peccatum, at in ritualibus legibus Mosis transgressio legis vetantis ex ignorantia commissa, et etiam sacrificium pro tali peccato. Porro אָשָׁם delictum, sed in lege Mosis saepe transgressio legis jubentis ex ignorantia aut inadvertentia commissa, et sacrificium pro tali delicto. Notissimum est עָשָׂה, facere; sed ubi de cultu Dei sermo est, sacrificare, ut Lev. 9, 16. Num. 28, 24., sicuti et antiqui Graeci, teste Athenaeo Deipnosoph. XIV. p. 660. ed Casaub., verbis, ῥέζειν et δρᾷν, facere, pro θύειν, utebantur; et ipsi Romani quoque dicebant facere, pro sacrificare; προφήτης Aegyptiis sacerdos, Hebraeis vates; παλιγγενεσία Graecis insignis mutatio in melius, uti quum terra tempore veris revirescit, respublica in meliorem statum restituitur; at in religione Judaeorum resurrectio mortuorum, Matth. 19, 28., et integra moralis mutatio hominis, ritu baptismi adumbrata, quem Jesus dignitate sacramenti honoravit, Joh. 3, 3 — 10. Tit. 3, 5. Matth. 28, 22. In secta Pharisaeorum ortus est usus verbi pascere et pastor, de doctoribus populi; in A. enim F. verbum hoc de regibus usurpatur *); plures, huic sectae prorsus pecu-

*) Conf. Jahn Bibl. Archeol. (Germ.) I. Th. I. B. §. 126. 529. et §. 51. S. 251 — 252.

liares, jurandi formulae attinguntur Matth. 23, 16 — 22. — Antiquissimae formulae de religione, et de rebus ad religionem et Deum spectantibus, loquendi, statum infantiae humanae spirant, quem historice non novimus; hinc nobis, humanitate adultis, si in rem significatam indagamus, non raro difficultates creant, quae diversis opinionibus locum praebent; uti si quaeritur, quid proprie fuerit illa nubes et ignis, qui Hebraeos antecedebat, et super tabernaculum consistebat; aut si quaeritur, quales fuerint illae apparitiones divinae, quas patriarchis et Mosi contigisse legimus, et alia similia.

IV. Reipublicae civilis et ecclesiasticae forma, e qua non solum diversa munerum et praefectorum nomina, sed non paucae quoque phrases et tropi desumuntur. Sic antiquissima procerum Hebraeorum nomina: רָאשֵׁי שְׁבָטִים, שֹׁטְרִים, רָאשֵׁי אָבוֹת, נְשִׂיאִים; et sub regibus נְגִיד הַבַּיִת, הַמַּזְכִּיר etc.; ac in N. F. *ἀρχιερεῖς*, *πρεσβύτεροι*, *γραμματεῖς*, a quibus omnibus longe distant nomina praefectorum Chaldaeorum et Persarum, atque magistratuum Romanorum, quae occurrunt in libris V. F. recentioribus, et in N. F. Ita quoque ignotum ante Babylonicam captivitatem *συνέδριον*, supremum tribunal, et *κρίσις*, tribunal inferius, priori subjectum; unde explicandae sunt loquendi formulae, quae Matth. 5, 22. leguntur. Ita porro nomina הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל, vel כֹּהֲנִים, הַכֹּהֵן etc., unde phrasis מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים Exod. 19, 6., i. e. regnum Deo sacrum, ut mox explicatur per

adjectum גּוֹי קָדוֹשׁ, gens sancta, i. e. Deo consecrata, cui geminum est βασιλειον ἱερoτευμα, 1 Petri 2, 6. A sacrificiis Deo acceptis desumta est phrasis Ps. 51, 19. זִבְחֵי אֱלֹהִים רוּחַ נִשְׁבָּרָה victimae Dei, seu victima Deo accepta est spiritus fractus, i. e. vulneratus, seu contristatus et poenitens; et Rom. 12, 1. θυσια ζωσα, victima viva. Ita etiam significatio verborum νεωκορος Act. 19, 33., et περικαθαρμα 1 Cor. 4, 13., per cultum idololatricum fixa fuit.

V. Vita communi, ex qua explicandae sunt hyperbolae, communi sermone tritae, et effata, quae universim enunciant, quod cum restrictione de eo, quod perfrequens est, intelligere oportet. Usurpantur autem passim etiam in libris voces, notiones et phrases ex communi vita desumtae, ut מָן quid? Exod. 16, 15., alias nullibi obvium; quod Cl. Rosenmüllerus in Schol. ad h. l. contra nostram sententiam adnotavit, nec Grammaticae nec contextui congruere videtur. Porro εξʊσια, vulgare nomen certi pepli muliebris, Cor. 11, 10; θρεμματα pro domesticis, Joh. 4, 12., ad quem locum confer Kypke. Ita etiam 2 Sam. 3, 8. כֶּלֶב canis, pro homine abjecto, et 1 Sam. 24, 15. 2 Sam. 9, 8. 16, 9. כֶּלֶב מֵת, canis mortuus, pro homine abjecto impotente *). Ita porro 1 Sam 25, 22. 34. 1 Reg. 14, 10. 16, 13. 21, 21. et 2 Reg. 9, 8. מַשְׁתִּין בְּקִיר mingens ad parietem, pro ho-

*) Conf. Jahn Bibl. Archeol. I. Th. I. B. §. 60. p. 294 — 297., vel Lat. Arch. Bibl. §. 51. p. 99 — 101.

mine infimae sortis. Ex hoc fonte etiam fluxit consueta orientalibus compellatio honoris זָקֵן, senex, quia aetate provecti in vita communi non exiguum honoris gradum obtinebant. Huc facit quoque scita Giggeji observatio, a Golio allegata, vocem أخ (אָח, αδελφος), non solum nativitate fratrem, sed etiam amicum, vel socium, fraterno amore junctum, significare, vix tamen hoc nomine venire, nisi sit ejusdem religionis, unde illustratur Jes. 66, 20. Jer. 31, 34., atque compellatio fratrum, qua primi Christiani se invicem salutabant. Ceterum scriptura plerumque juxta communem sensum loquitur; quare effata talia premenda non sunt, ut jam adnotavit Holdenius in divinae fidei Analys. L. I. c. 5.; scribit enim: „veritates philosophicae nec „probandae, nec improbandae sunt ex puris nudis„que scripturae verbis et sententiis; quamvis enim „nullam complectatur scriptura falsitatem, atta„men ipsius loquendi modus utplurimum vulgaris „est, atque ad communem captum potius, quam „ad loquelae proprietatem et rigorem sermonis, „adaptatus est." Hoc ipsum de Paulo quoque, licet fuerit eruditus, observavit Chrysostomus Hom. 9. in ep. ad Philipp. 2., ubi scribit; *τα πολλα και κατα την κοινην συνηθειαν των ακουοντων ὁ Παυλος φθεγγεται, και ου πανταχου φιλοσοφει.*

VI. **Moribus, ritibus, consuetudinibus, et reliquis rebus historicis**, quas nomine antiquitatum complectimur, ut exempla

innummera, quae in Archaeologia Biblicâ passim adduximus, abunde comprobant.

VII. His Ernestii observationibus addendum est, usum loquendi etiam aliquatenus determinari scriptore; nam etsi author lingua aetatis suae utitur, eam tamen nonnihil variat, prout plus minusve excultus et eruditus, atque singulari forte ingenio et indole praeditus est. Ita eruditi erant Paulus et Lucas, et hinc plura quoque habent peculiaria, quibus addendus est Johannes, etsi eruditis accenseri non soleat. Ecclesiastes est philosophus, et ipsius lingua permultum discrepat. Qui scribunt stilo eleganti, sublimi, acuto, sententioso, ut plerique Prophetae et pöetae Hebraei, voces non raro et notiones usurpant rariores, quas stilus planus non fert. Taceo singularia alia. Quare historia authoris interpreti cognita sit oportet, quae, deficientibus aliis monumentis, ex ipsius scriptis eruenda est.

Cavendum itaque est, ne vocibus plus minusve substernatur, quam hae definitiones usus loquendi, exigunt. Monitum omni aetate gravissimum, inprimis autem nostra, qua plures eo abripiuntur, ut verbis et sententiis scripturae obtrudant notiones et sensus, ex recentissima philosophia haustos, quod sibi nemo in Aristotele aut Platone interpretando permittit. Exempla vide in Bretschneider's Hist. Dogm. Auslegung S 43. Id modo addo, jam olim ex philosophia, varia illata fuisse in Biblia, sicut e. gr., corpus, ut fontem omnis mali, extenuandum et affligendum esse; non esse tractandam rempublicam, sed vitam solitariam agendam; S. Hieronymus oxpunxit Matth. 5.

22. εἰκῆ, ex decreto Stoicorum, qui omnem prorsus iram damnabant *).

§. 9.

Sensus unicus in contextu orationis.

Permulta verba in quavis lingua pluribus quidem significationibus gaudent, nihilominus unica in usu loquendi cuilibet verbo subjicitur notio, quae per nexum mutuum, per seriem orationis, per substratam materiam, per consilium loquentis vel scribentis, aliaque adjuncta affatim indicatur, nisi forte ambiguitas studio quaesita sit. Id in Bibliis quoque obtinere, nullum est dubium. Quae a Judaeis, ab antiquis scriptoribus ecclesiasticis, et a recentioribus theologis pro multiplici sensu literali Scripturae, ceu verbi Dei, ex foecunditate intellectus divini deducta sunt argumenta, refutantur uno responso, linguas sacrae scpripturae esse humanas, adeoque ut alias linguas esse intelligendas et interpretandas; neque Scriptura recte dicitur verbum Dei, id enim est doctrina divina, quae proprie non est Scriptura, sed reperitur in Scriptura Sacra.

Id tamen non obstare nec impedire videtur, ne duplex aliquorum vaticiniorum sensus literalis distinguatur, subjectivus et obscurus, qui menti Prophetae obversabatur, et objectivus, qui a Deo revelante intendebatur, et demum complemento historiae pandebatur. Qui negant,

*) Hieronymus Comm. in Matth. 5, 22. Conf. Cicer. Tusc. Quaest. IV. p. 406. T. IV. Ed. Ernesti.

Deum Prophetis ullo modo cooperatum fuisse, consequenter negare possunt sensum objectivum; qui autem divinam in Prophetis vim agnoscunt, se, nisi sensum objectivum admiserint, nunquam expedient objectione adversariorum contendentium, Prophetam de objecto historico nec cogitasse, neque cogitare potuisse. Ast haec disputatio pertinet ad Introductionem in LL. V. F., in qua de ea egi P. II. §. 82.

§. 10.

Sensus certus et probabilis, atque verus.

Si notiones verborum, et mutuus eorundem respectus, per adjuncta illa, supra commemorata, plane determinantur, nec ulla alia adsit ambiguitatis ratio, ut ex usu loquendi liquido ostendi possit, hunc et non alium sententiae aut orationi sensum subesse: sensus est et dicitur certus. Quodsi vero locus est obscurior, et adjuncta illa notiones vocum aut mutuum earundem nexum non perspicue definiunt, aut alia adest ratio dubitandi: sensus est dubius, ubi alius quoque sensus, sine vi verbis aut nexui ipsorum illata, locum habere potest; attamen hoc casu plura plerumque, aut graviora saltem argumenta pugnant pro alterutro sensu; qui itaque est probabilior, et alteri eo majori jure praeferendus, quo pluribus aut gravioribus argumentis innititur. Sensus quidem ille certus, et hic probabilior, est simul verus, i. e. ille, quem author vel certo vel probabilius in mente habuit; haec autem veritas exegetica nequaquam confundenda est cum veritate reali et objectiva, quae sensui etiam exegetice vero et certo deesse potest, uti si Judaei in N. F. dicunt de Jesu: seductor ille,

daemonium habet, per Belzebul ejicit daemonia; aut si Amalekita ille 2 Sam. 1, 6 — 10. mentitur,, interfectum a se fuisse Saulum; vel si necromanta 1 Sam. 28, 12. edicit, sibi comparere virum talem, quem praesens Saulus non conspicit, sed duntaxat ex descriptione impostricis agnoscit, esse Samuelem.

§. 11.

Criterium sensus certo falsi.

Si sensus e sententia aut oratione erutus, aut verbis ab interprete subjectus, est talis, qualis nec scriptori, nec primis lectoribus in mentem venire potuit, certo falsus est, uti omnes illae interpretationes ex philosophia aetatis recentioris arcessitae. E contrario sensus, quem author fortasse exprimere, et primi lectores percipere potuissent, ex hac sola caussa non meretur assensum, nisi argumentis, ex usu loquendi depromtis, probetur. Regula autem, sensum, quem primi lectores vel auditores non confestim cognoverunt, falsum esse, jure statui nequit; quid enim, si locus primis mox lectoribus erat obscurus? quod Petrus de epistolis Pauli testatur, quum scribit, in ipsis esse quaepiam difficilia intellectu, 2 Petr. 3, 15 — 16. Quid si prophetae dissertis verbis dicunt, se ipsos non perspicere, quod praedicunt, sed intellectum iri a posteris? conf. Jes. 6, 9 — 13. 29, 11 — 14. 28. Jer. 23, 20. 30, 24. Ezech. 33, 33. Dan. 7, 28. 8, 27. 12, 8 — 9. Zach. 2, 13. 15. 4, 9. 6, 15. Jesus quoque ipse ait Matth. 13, 10

— 15., se ad populum loqui per parabolas subobscure, ne clare intelligat; atque etiam Apostoli non mox percipiebant, quae Jesus de violenta sua morte in cruce, praedicebat; et quae de sua divinitate sermonibus suis passim interserebat, profecto non plene intelligebant, usque dum donum Spiritus Sancti recepissent. Sensus itaque, qui primis auditoribus vel lectoribus, aut ipsis etiam prophetis non continuo erat clarus et perspicuus, quia vel res obscura, vel intellectus eorum praejudicatis opinionibus occupatus erat, ex hac sola caussa rejici nequit. Qui ergo e. gr. dicit, Apostolos in ultima coena non potuisse verba, a Jesu prolata, de sumtione corporis et sanguinis Ipsius, quem adcumbentem secum cernebant, intelligere: nihil proficit, praesertim cum Paulus 1 Cor. 11, 27. hac de re sublimius doceat.

§. 12.

Sensus difficultatibus obnoxius.

Sensus, qui ex usu loquendi rite deductus et comprobatus est, nec difficultate hermeneutica laborat, obstinate tenendus, et nec ex difficultatibus aliunde ortis dubius reddendus, nec argutiis philosophicis inpugnandus, neque ad adamata quaevis antiquae vel novae sectae philosophicae decreta violentis artificiis exegeticis detorquendus est, quod qui in Bibliis audent, mirum dictu, in profanis authoribus ipsi damnant. Quodsi sententiam sacrorum authorum inprobandam esse censent, saltem idipsum, ut viros candidos, probos et integros decet,

sine ambagibus profiteantur, nec verum authorum sensum malis artibus pervertant, ut nostra aetate non raro fit in interpretatione miraculorum, vaticiniorum, et doctrinarum, quae rationi humanae limites excedunt, quae ex hac sola ratione evertuntur, quia modum, quo id, quod edicitur, exstiterit vel existat, non perspicimus, quod ipsum, profitentibus ipsis subtilioribus Physicis, in sexcentis, imo, si paulo longius urgere velimus, in omnibus rebus naturalibus contingit, quin id veritati et certitudini vel minimum obsit.

Quodsi sensus aliis veritatibus evidentibus, aut historiae prorsus certae repugnat: in libris profanis apta conciliatio, quae nullam verbis vim inferat, quaeritur, vel mendum librariorum detegitur; eadem itaque aequitas libris quoque sacris deneganda non est. Si vero haec remedia deficiunt, author profanus simpliciter arguitur erroris, a quo quidem authores sacri eximendi sunt; ast non raro modo populari vel poetico aut tropico, vel ex statu humanitatis suae aetatis loquuntur, aut id, quod plerumque fit, universe enunciant, vel de rebus physicis, quas explicare ipsorum non intererat, vulgares suae aetatis sententias referunt; quare dicta eorum hujus generis non sunt ad vivum resecanda; sed ex illis ipsis, nunc memoratis, adjunctis explicanda; respicienda quoque est aetas authorum, qua amplior non erat notitia rerum hujus generis; uti quum dicunt, mannam aut rorem de coelo decidisse, aut solem e thalmo egredi, et ut gigantem currere; aut solem et lunam stitisse cursum suum; aut probos omnes

esse in hac vita etiam qnoad externa adjuncta felices, et inprobos infelices, et quae sunt similia.

In historia pleraeque difficultates ex succincta narratione, aut ex omissione quorundam adjunctorum oriuntur, uti hodiedum in narrationibus gestorum, oretenus nobis factis, observamus, ubi, quae vel ob succinctam nimis relationem, vel ob omissionem quorundam adjunctorum, obscura animadvertimus, quaestionibus propositis explicari petimus. Cum autem scriptores antiqui quaestionibus nostris respondere non possint, ipsi vicem eorum subire, et responsa ipsorum conjectura ex reliquis adjunctis colligere debemus. Quod si non ubique ipsi nobis satisfacere possumus, cogitandum est, plura illa aetate, in illis regionibus, et ea rerum conformatione fuisse illis hominibus clarissima, quae nobis, tanto et temporum et locorum intervallo dissitis, non possunt esse aeque clara.

Difficultates, quae ex rarioribus et ambiguis verbis et phrasibus oriuntur, ex usu loquendi et antiquitatibus, a quibus desumtae sunt, solvendae veniunt; quodsi haec omnia ad notionem aut sensum figendum non sufficiunt, desperandum non est; nam permulta hujus generis obscura, quae ante dimidium seculum illustrari nunquam posse videbantur, progrediente demum linguarum et antiquitatum studio, tandem tanto lumine perfusa sunt, ut nulla nubecula remanserit; haec experientia spem alit fore, ut et illae difficultates et dubia, quae restant, aucta linguarum supel-

lectili, et tenebris antiquitatis, quae supersunt, dìspulsis, si non omnia, saltem pleraque evanescant.

1) Quod Cl. Eichhorn Orient. Bibl. IV. 336. seqq. statuit, loca, quae aliquid extraordinarium, aut limites rationis excedens, edicunt, ita esse intelligenda, ut cum ratione sana et modesta consentiant, tolerari posset, nisi termini hi essent nimium vagi et indefiniti. Quare regula potius ita definienda erat, ut rejiciatur sensus, qui sanae rationi repugnat, seu ut terminis scholasticis utar, qui est contra rationem, non vero ille, qui est supra rationem; ast de hac re decernere, non est Hermeneuticae, sed Dogmaticae.

2) Quae hucusque enumeravimus, praecipuae sunt caussae obscuritatis S. Scripturae, de qua olim Protestantes inter et reliquos Christianos omnes, magna vigebat contentio, nunc sopita: Protestantes enim jam a tribus decenniis obscuritatem scripturae confitentur.

§. 13.
Testimonia de usu loquendi.

Usus loquendi, quem invenire et ad quaelibet loca conferre, ac argumentis probare, docet Hermeneutica, facto historico innititur; quaeritur enim, quas vocibus notiones, et quem phrasibus sensum jungere soliti sint illi, qui hac lingua vernacula utebantur. Hunc autem notionum cum verbis, et sensus cum phrasibus nexum, certo cognitum non habebant, nisi illi ipsi, qui linguam hanc vernaculam loquebantur, aut eam saltem ab his penitus didicerant, atque hi soli directi de usu loquendi testes esse possunt, qui de linguis mortuis sunt an-

tiqui interpretes, Scholiastae, glossographi, aliique auctores, qui illo aevo, quo lingua erat vernacula, verba et phrases interpretati sunt, aut vim earum exposuerunt. Testibus hujus generis, qui dicuntur directi, nititur Hermeneutica Specialis N. F., de quibus itaque in Introductione in N. F. agendum est *). — Quodsi hi testes directi deficiunt, jure merito admittuntur indirecti, seu illi, qui non quidem ipsam hanc linguam, dialectum tamen ipsi affinem loquebantur vernaculam, aut ab his plene didicerant, vel saltem aetate, a vita linguae non longiori temporis intervallo remota, vivebant, qua de usu loquendi plura adhucdum nota erant. His testibus utitur Hermeneutica specialis V. F., de quibus in Introductione in V. F. tractandum est **). — Sunt autem de usu loquendi librorum utriusque foederis et alii testes directi, ipsi scilicet scriptores sacri, qui passim vim verborum suorum mox in contextu orationis exponunt; vel per seriem orationis, substratam materiam, consilium scribendi, et alia adjuncta innuunt, aut indicant, quidnam exprimere velint; vel etiam in aliis locis eadem voce aut phrasi de eadem re, per contextum orationis satis determinata, utuntur, aut ean-

*) Conf. Michaelis Einleitung in die Goettl, Schriften des N. B. §. 18 — 37. S. 108 — 246. Bretschneider's Historische Auslegung des N. T. 1806. Leipzig,

**) Conf. Jahn's Einleit. in die Goettl. Bücher des A. B. I. Th. IV. K. S. 242 — 322. vel Introd. in SS. LL. V. F. §. 68 — 91.

dem historiam, rem, doctrinamve aliis clarioribus verbis exponunt, quae utriusque generis loca dicuntur parallela. Atque de his testimoniis directis ipsorum scriptorum sacrorum, in generali Hermeneutica V. et N. F. agemus, subjuncturi quaepiam de tropis, emphasibus, εναντιοφανοις, et exercitatione hermeneutica.

Haec, quae modo diximus, non repugnant concilio Tridentino, quod Sess. IV., fatente ipso Cardinali Palavicinio, nequaquam edicit, ex quibus fontibus hauriendus sit sensus scripturae S., aut ad quas regulas ipsius interpretatio exigenda sit, sed duntaxat sancit, qua ratione *S.* scriptura non sit explicanda, seu cavet, ne interpres committat, quod ex natura rei nullo non tempore perversum et illicitum fuit, ne scilicet interpres sacram scripturam ad suas praejudicatas opiniones violenter contorqueat, et doctrinam fidei et morum extundat, quae doctrinae ecclesiae, aut unanimi Patrum in doctrina fidei et morum consensui repugnet. Huc vero, fatentibus omnibus theologis, non pertinent scripturae loca, in conciliis ad confirmanda dogmata adducta; sensus quippe his locis tributus nequaquam est conciliorum, sed singulorum Patrum, qui loca haec allegarunt, vel theologorum, qui decreta concilii exararunt; excipienda sunt sola loca illa, quorum sensum concilium singulari decreto definivit, ut Conc. Trid. Sess. XIV. de Sacramento Poenit. can. 3. et de Extr. Unct. can. 4. Conf. Palavicini Hist. Conc. Trid. L. VI. Cap. 18., ac meam Introduct. in LL. V. F. P. I. §. 91.

§. 14.

Sensus mediatus seu symbolicus.

Si res, sensu orationis designata, alterius porro rei est signum vel symbolum, haec, non verborum, sed rei significatio dicitur sensus mediatus,

qui vulgo mysticus, symbolicus, vel typicus dicitur, et olim, prout ad fidem, ad spem, ad mores spectabat, allegoricus, anagogicus, tropologicus vocabatur: partitio nec ex Bibliis hausta, neque ad regulas logicae exacta. Quodsi omnia in partes secanda sunt, sensum hunc aptius dividemus in historicum, moralem et propheticum; fatendum nihilominus erit, alterum alteri inesse posse, adeoque nequaquam adcuratam esse divisionem. Ceterum solet hic sensus quidem etiam vocari allegoricus, inprimis si ad fidem spectat, a sensu tamen, qui alias dicitur allegoricus aut tropicus, in eo discrepat, quod sensus allegoricus tropicus sit immediatus, quem verba sensu inproprio immediate indicant, cum sensu proprio prorsus nihil designent; in locis vero, ubi sensus mediatus obtinet, verba et immediate aliquid, et simul mediantibus rebus designatis ulterius aliud significant. Verumtamen si rem ad amussim reducamus, haec symbolica rerum significatio appellari non potest sensus, qui non est rerum, sed verborum et sententiarum. Quia autem haec ratio interpretandi Scripturam, inde ab aevo Apostolorum in ecclessia latissime propagata fuit, et fere ab omnibus, sub nomine sensus, excolebatur, nec adhucdum ubique locorum prorsus neglecta jacet: non abs re fuerit, de ea paucis agere, et etiam nomen antiquum, etsi incommodum, retinere.

§. 15.
Sensus mediatus negari nequit.

Historicum et moralem sensum mediatum seu symbolicum locorum quorundam, sacri scriptores ipsi exponunt. Moses ait Exod. 28, 38., diadema, seu laminam auream in fronte summi sacerdotis significare, ipsum luere culpam omnium, quae Hebraei in rebus sacris et oblationibus deliquerint; Lev. 26, 41. et Deut. 10, 16. et 30, 6. circumcisionem cordis commemorat, quae circumcisione carnali significetur, conf. Jer. 9, 25. 6, 10. Exod. 6, 12. 30.; de omnibus quoque festis diebus historicam significationem symbolicam pandit; redemtionis filiorum primogenitorum, Num. 18, 14 — 16. Exod. 13, 13. 24, 5. Num. 3, 12 — 13. 44 — 51., duplicem significationem adfert, quod nempe primogenita Hebraeorum, grassante olim in Aegypto peste, fuerint salva, et quod filii primogeniti fuerint olim sacerdotio consecrati, quod in tribum Levi translatum fuit; quare primogeniti filii cum Levitis permutati sunt, et deinceps redimendi erant. Victimas cruentas significasse moraliter poenam illius, pro quo sacrificabatur, vel qui sacrificabat, ex victimis foederum et sacrificiis pro peccato et delicto, liquet *). Et reliquos ritus sacros, a Mose praescriptos, omni significatione vacuos fuisse,

*) Conf. Jahn Bibl. Archael. Germ. Th. III. §. 105. S. 408 — 409. vel Lat. §. 384. p. 613 — 618.

vix sibi persuadebit, qui ipsos attentius consideraverit, et perpenderit, in Aegypto, ex qua Moses Hebraeos eduxerat, frequentissimum fuisse symbolorum usum. In Novo Foedere praecepta de sacramentis immediate ipsos hos ritus sacros, reapse peragendos, significant, et simul significatio horum rituum symbolica exponitur, uti Rom. 6, 3 — 11. Coloss. 2, 12. 1 Cor. 6, 11. 11., 23 — 27. Eph. 5, 26.. Tit. 3, 25. 1. Petr. 5, 25., in quibus locis dicitur baptismus (per immersionem in aquam), significare non modo moralem peccatorum ablutionem, sed etiam mortem et sepulturam hominis rei in aqua, atque (per emersionem ex aqua) ejusdem resurrectionem ad vitam probam et virtutis studiosam. Sacramenti Eucharistiae significatio symbolica se ipsa offert, quae et in reliquis sacramentis facile observatur, et a theologis dogmaticis explicatur.

Sensus itaque mediatus, seu symbolicus historicus et moralis locorum quorundam, inpugnari nequit; ast quaestio est de sensu mediato prophetico. A quo tempore enim Johannis Dav. Michaelis opusculum, E n t w u r f d e r t y p i s c h e n T h e o l o g i e 1763. ed. II., in quo typi quidem antiquiorum interpretum aliquatenus minuuntur, nihilominus adhucdum ultra terminos multiplicantur, a Joh. Vilh. Rau per examen, F r e y m ü t h i g e U n t e r s u c h u n g ü b e r d i e T y p o l o g i e 1784, refutatum fuit; sensus typicus propheticus ab omni-

bus, tamquam inanis lusus ingenii, exploditur. Contigisse videtur, quod est in proverbio: ab altero extremo ad alterum. Nam quum inde a Philone Judaeo et Origene usque ultra dimidium seculi 18vi, sensus mediatus seu mysticus latissime extenderetur, et non solum in quovis Bibliorum loco quaeretur, sed etiam quaepiam loca sensu literali et immediato carere putarentur: hac intemperanti evagatione offensi recentiores, rem subtilius scrutati sunt, et omnem sensum mediatum propheticum eliminarunt. Authoritate quidem tantorum virorum non mediocriter moveor, nihilominus mentem meam aperiam, nec tamen, ut Ciceronis verbis utar, quasi Phythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero, sed ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura sequens. Velim itaque, ut expendantur, quae dicam.

I. Narrationes Prophetarum de actionibns suis singularibus, et extra communem ordinem a se susceptis, ut Hos. 1, 2 — 9. Jes. 20, 1 — 4. Jer. 27, 23, 28, 12 — 14. Ezech. 3, 22. — 4, 17. 5, 1 — 4. 12, 2 — 16., non tantum immediate has ipsas actiones, sed etiam mediate res futuras, his actionibus adumbratas, significare, nemo unus negaverit, et hanc significationem esse mediatam, plane liquet. Quodsi quis neget, esse mysticam, et contenderit, esse mere symbolicam, de nomine non disputabo, sed liberaliter dabo, quod petit.

II. Quod Matthaeus 21, 18 — 20. et Marcus 11, 12 — 14. refert, Jesum, cum esuriret, ad arborem ficum, etsi tempus ficuum non esset, accessisse, et non invento fructu, arbori maledixisse, quae etiam exaruit, revera ita actum esse, omnes concedunt; attamen nemo non videt, rem hanc, ita gestam et narratam, ulterius significare, rempublicam Iudaeorum, in qua Jesus dignos poenitentiae et probitatis fructus quaesivit et non reperit, sortem hujus ficus esse subituram; atque significationem hanc esse mediatam, negari nequit.

III. Omnem illum Mosaicum apparatum portendisse aliquid futurum simile, longe tamen praestantius, aequus rerum aestimator, non difficulter dabit, qui animadverterit, omnia ista instituta illis promissionibus, quae Gen. 12, 13. 18, 18. 22, 18. 26, 4. 28, 14. Patriarchis factae fuerant, initi, et non modo Prophetas idipsum jam olim perspexisse, cum hoc futurum multo felicius aevum saepius vivacissimis coloribus depingerent, sed etiam eventum demum respondisse. Fortasse singularia etiam quaepiam in lege Mosis innuebant alia quaepiam futura, quae jam in N. F. obtinent, saltem eatenus, quatenus Hebraei per haec ad ea, quae Jesus docuit et instituit, praepararentur et adducerentur, etsi illi antiqui hanc significationem adeo remotam non perspexerint. Jesus profecto videtur Luc. 18, 31 — 33. 24, 25 — 27. 44 — 47. quidpiam hujus generis innuere, conf. Act. 3, 18. 26, 22 — 23. Joh. 20, 9. cum Act. 2, 27. 31.

35. 13, 34 — 37. et Ps. 16, 9 — 10.; verum id est altioris indaginis, cui hic locus non est *).

§. 16.

Indicia sensus mediati.

Qui verentur, ne, admisso qualicunque sensu mediato, antiqua sensus mystici venatio redeat, et latissima porta aperiatur licentiae, quaecunque fingendi et Scripturae S. obtrudendi, oppido falluntur; nam sensus mediatus, uti ex mox dictis affatim apparet, nequaquam pro lubitu fingendus, neque in quovis loco, in quo nullum est symboli alicujus vestigium, quaerendus est, sed se ipse certis indiciis offerre debet, quae fere redeunt ad sequentia.

I. Si author ipse sensum mediatum seu symbolicum explicat, uti supra vidimus, Mosen plures rerum, rituum et festorum significationes, et Paulum significationem baptismi exponere.

II. Si occurrit actio aut ritus, qui in illa natione, certa symbolica significatione gaudebat; dubium esse nequit, illud ipsum, quod per eum indicari solebat, significari; uti si Jesaias per triennium nudus, i. e. solo Ihhrâm Arabico cinctus incedebat; aut si Jeremias jugum collo portabat. Nonnunquam significatio ex aliis locis, ubi per seriem orationis et substratam materiam indicatur, patescit; ut circumcisionem cordis designare remotionem impedimento-

*) Conf. Jahn Bibl. Archaeol. (Germ.) Th. III. §. 18. S. 102 — 106. §. 105. S. 400 — 407. vel Lat. §. 310. p. 492. §. 394. p. 614 — 618.

rum, Deum verum agnoscendi et rite colendi, adparet ex Exod. 6, 12. 30. Jer. 6, 10. 9, 25. Ceterum significatio rituum Mosaicorum maxima parte tenebris antiquitatis sepulta est, quidam tamen ritus significationem ipsi offerunt, ut illi, qui de hirco עֲזָאזֵל Lev. 16, 7 — 10. observandi erant.

III. Si vir prudens ponit, vel poni jubet actionem, quae, nisi ulterius quidpiam significaret, inanis et omni consilio destituta foret, ut ritus Mosaici, Sacramenta Novi Foederis, et illa ratio, qua Jesus in ficum sterilem, usus est.

Qui, praeter tres hos casus commemoratos, alibi sensum mysticum fingit, eo tamen non ad veritatem aliquam comprobandam, sed solum ad illustrationem, et ad ornatum orationis uti potest, uti Apostoli et sagaciores Patres ecclesiae, e. g. Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, aliique, praesertim qui ex schola Antiochena prodierunt, exemplo praeiverunt.

§. 17.
De sensu adcommodato.

Quemadmodum Graeci scriptores pervulgatos versus Homeri saepe alieno sensu ad alia exprimenda transferebant, seu adcommodabant, et ipsis tamquam luminibus orationis utebantur: ita quoque Judaei antiqui, et ipsi quoque scriptores librorum N. F., enunciata Scripturae S. ad suas, a mente authorum alienas, sententias exprimendas usurpabant, et posthac scriptores fere omnes per omne aevum ad ornatum usurpare solebant. Hic Scripturae S. usus nullam habet ad conceptum authoris

rationem, itaque sensus prorsus non est, sed usus verborum scripturae: nihilominus, etsi immerito, sensus adcommodatus vel adcommodatitius dicitur, tolerabilius diceretur adcommodatio, quae generatim non est inprobanda, si modo non nimia sit, nec pro sensu immediato vel mediato venditetur, et decretum Concilii Tridentini Sess. IV., sanae rationi consentaneum, observetur, quo cautum est, ne verba et sententiae S. Scripturae convertantur ad profana, scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, libellos famosos, superstitiones, jocos, et alia similia aut pejora.

Quae nostra aetate agitatur quaestio gravissima de alia prorsus, dogmatica nempe, adcommodatione Jesu et Apostolorum ad erroneas suae aetatis vulgares sententias, pertinet ad Hermeneuticam specialem N. F., quae, ut jam monuimus, in introductione in libros N. F. pertractanda est; consuli de ea potest Bauers Hermeneutik des A. u. N. T. §. 147 — 151. S. 121 — 126., et Seilers Bibl. Hermeneutik, §. 264 — 276. S. 363 — 385.

§. 18.
Sensus moralis.

Tolerari autem nullatenus potest illa moralis Scripturae interpretatio, quam Kantius theologis obtrudere conatus est, ut scilicet sensum moralem omnibus Scripturae locis, etsi eum non complectantur, nec facile patiantur, subjiciant, aut sine omni ad sensum literalem, etiam repugnantem, relatione inferant. Per vagam enim, arbitrariam et violen-

tam hanc tractationem S. Scripturae, quae nullis regulis coercetur, quaecunque imaginationis somnia et portenta sacris libris adfingi possent, et ipsa eorum authoritas in gravissimum discrimen adduceretur. Quod si solum agitur de illis Scripturae locis, quibus quidem sensus moralis non inest, facile tamen adnecti potest, nemo repugnabit; id enim nullo non tempore usitatum fuit, nomine autem sensus aut interpretationis venire minime potest *).

---

*) Conf. Eichhorn' Orient. Bibl. V. Th. S. 216. ff. VI. Th. S. 51 — 68. VII. Th. 319. Dr. Rosenmüller de fatis interpretationis SS. literarum in Ecclesia Christiana P. VII. et VIII. 1793 — 94. Lips., et ejusdem Bemerkungen das Studium der Theol. betreffend 1794. Erlang. Observationes ad moralem sive practicam librorum SS. interpretationem pertinentes. Lips. 1796.

Caput II.

De contextu orationis, substrata materiâ, consilio authoris, aliisque adjunctis.

§. 19.

Contextus orationis.

Nomine contextus orationis, venit nexus vocum et sententiarum cum antecedentibus et consequentibus, earumque mutuus respectus; atque prout ratio habetur proxime, remote, vel remotius antecedentium et consequentium, etiam contextus orationis angustior aut amplior considerari solet. Proximus spectat nexum partium unius ejusdem propositionis, remotus nexum propositionis aut periodi alterius cum altera; remotior denique nexum mutuum plurium propositionum aut periodorum, seu totius orationis, et simul substratam materiam, consilium authoris, et omnia reliqua adjuncta respicit.

§. 20.

Contextus vis probandi.

Argumenta, quae ex quovis orationis contextu ad probandam notionem vocis aut sensum propo-

sitionis vel periodi, ducuntur, non omnia aequali vi pollent. Argumentum quidem negativum quodcunque, ubique inconcussum est, ut notio vel sensus, qui contextui orationis repugnat, necessario falsus sit; quia nemo, qui quidem sanae mentis est, subjicit voci notionem, aut propositioni sensum reliquae orationi contrarium. Ita versio Hagg. 2, 7. בָּאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם, veniet desideratus cunctis gentibus, repugnat contextui proximo, in quo pluralis בָּאוּ cum Nominativo singulari perspicue indicat collectivum, ut venient desiderium, idem sit, ac venient, vel adferentur desiderata vel desiderabilia, id est coll. 1 Sam. 9, 20. Gen. 49, 26. 2 Paral. 32, 17. Jer. 25, 34. Hos. 13, 15. Nah. 2, 20., pretiosa, seu thesauri omnium gentium. Sed et contextui remoto contraria est illa versio, ubi sermo est de templo, minus splendido et divite, et de concussione coeli et terrae, non materialis, sed, ut Haeggai ipse c. 2, 20 — 23. exponit, politicae, seu de revolutione regnorum per Cyrum, post quam templum gloria implebitur, i. e. splendidum fiet donis pretiosis omnium gentium, ut c. 2, 7 — 9. additur *). Ita quoque verba Gen. 3, 1. לֹא תֹאכְלוּ מִכֹּל עֵץ הַגָּן male vertuntur: non de omni arbore horti comedes, quia לֹא כֹּל, et כֹּל לֹא, juxta usum loquendi, semper universim negat; hinc sensus loci est: de nulla arbore horti comede; si,

*) Conf. Jahn Einleit. in die BB. des A. B. II. Th. §. 156. S. 661 — 663. vel Introd. in LL. V. F. p. 446 — 447.

non omne, exprimendum est, Hebraei circumscribunt, ut Num. 23, 13 *). Per contextum proximum quoque aliud, est בְּרִית מֶלַח Num. 18, 19. 2 Paral. 13, 5., et מֶלַח בְּרִית Lev. 2, 13.; illud enim primum Num. 18, 19. vel de dimenso alimento, vel, ut etiam 2 Paral. 13, 5., de foedere firmo, hoc ultimum vero proprie de sale, per foedus seu legem praescripto, usurpatur **). Sic quoque 1 Tim. 3, 15 — 16. στυλος και ἑδραιωμα της αληθειας, non potest jungi cum εκκλησια, quae mox antea dicta est οικος Θεȣ; nam ecclesia non potest in una eademque orationis serie dici et domus et fundamentum et columna; jungenda itaque sunt verba illa, ut in versione Syriaca, cum sequenti mox mysterio, seu cum arcana, antea ignota doetrina de Christo, prout et Judaei, praesertim Kabbalistae, non domum seu familiam, sed graviora doctrinarum arcanarum capita appellant יְסוֹד גָּדוֹל וְעַמּוּד חָזָק אֲשֶׁר הַכֹּל תָּלוּי, fundamentum magnum et columnam firmam, e qua omnia pendent. Conf. Sohar Gen. f. 8. col. 31. Maimonid. Jesode Thorah §. 1, et Schoetgen. Hor. Hebr. ad 1 Tim. 3, 15. p. 870.

---

*) Conf. Jahn Gramm. L. Hebr. ed. III. §. 116. p. 394 — 395.

**) Quod in Bibl. Arch. I. Th. I. B. S. 197. scripsi, Lev. 2, 13. בְּרִית in בְּרִית rescribendum esse, erat conjectura J. D. Michaelis, quae in contextu nullum fundamentum habet.

edit. 1733. Ita etiam illa, quae 1 Cor. 2, 9., secundum Jes. 64, 3., a Deo praeparata fuerunt diligentibus ipsum, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, et quae in mentem hominibus nunquam venerunt, vi praecedentium et sequentium in Jes. 64, 3. et Paul. 1 Cor. 2, 9., de aeterna beatitudine intelligi non possunt, sed oeconomiam N. F. significant, de cujus bonis incomparabilibus contextus orationis agit. Sic quoque nuper a Paulusio contextui Matth. 17, 27. obtrusa fuit rarior τȣ εὑρισκειν notio vendendi, quae contextui proximo repugnat. Confer denique vulgares interpretationes Jes. 14, 12. et Job. 40, 25. Num. 24, 14 — 19. Deut. 18, 18 — 19. Dan. 9, 24. coll. v. 2. seqq. cum contextu orationis.

Perferri autem nequit lex contraria, ut omnis notio aut sensus, contextui congruens, continuo sit verus; potest enim etiam notio aut sensus falsus seriei orationis satis apte convenire. Quare regula affirmativa adcuratius definienda est. Itaque I. notio vocis, et sensus propositionis, certo verus est, si solus et unicus contextui orationis reliquisque adjunctis respondet, ut Gen. 42, 23. מֵלִיץ notio interpretis; Lev. 25, 5. Jes. 37, 30. סָפִיחַ notio messis sponte sine sementi natae; Ezech. 19, 3 כְּפִיר notio leonis juvenis pubescentis; 1 Cor. 3, 1. εν χριστῳ notio religionis Christianae. Ita etiam sensus phrasium Dan. 9, 24., finitam esse poenam peccatorum, finiendam jam esse captivitatem, restituendam

patriam, et templum restaurandum, unice convenit v. 2. seqq.; ac contextus Jes. 14, 12. nihil aliud admittit, nisi luciferum (stellam) cadentem de coelo esse imaginem interitus regni Chaldaico Babylonici. Vide quoque, quid contextus unice postulet Deut. 18, 18 — 19. Matth. 18, 18.

II. Adjecta praedicata, quae nonnisi certae rei aut personae conveniunt, notionem aut sensum non raro omni dubio eximunt; nam talia sunt subjecta, qualia a praedicatis edicuntur, et vicissim. Ex hoc capite descendit, quod Apostoli, credentes Jesum esse Messiam, sed praeoccupati opinione, ipsum fore non modo Prophetam et doctorem religionis, sed etiam regem potentissimum, non intelligerent Jesum, quum violentam mortem suam dissertis licet verbis praedicebat, quia Messiae non convenire, ideoque alio sensu, fortasse inproprio, intelligendam esse, opinabantur. Ita Lev. 8, 15. וַיְחַטֵּא אֶת הַמִּזְבֵּחַ, non potest aliud esse, quam a vitio liberum, seu purum declaravit altare, seu consecravit; ast Lev. 9, 15. וַיִּשְׁחָטֵהוּ וַיְחַטְּאֵהוּ non potest aliud dicere, quam: mactavit eum (hircum), et fecit eum sacrificium pro peccato; ac Gen. 31, 39.; אָנֹכִי אֲחַטֶּנָּה esse aliud nequit quam, ego lui illam, nempe ovem a feris discerptam. Cum Jesus Matth. 19, 9. dicit, moechari eum, qui, excepta fornicatione, uxorem repudiat, et aliam ducit, manifeste damnat polygynaeciam; nam, hac non damnata, maritus, sine

justa caussa repudians uxorem, peccat quidem, sed ducens aliam, moechus aeque dici non potest, ac si servata uxore sua duxisset secundam; atque hic est locus damnans polygynaeciam, a theologis quaesitus et non observatus. Si Johannes 1, 11. ait, τον λογον venisse εις τα ιδια, i. e. coll. Joh. 19, 17., ad suam familiam seu populum suum, ei tribuit tacite divinitatem; nam Hebraei dicebantur et erant populus Jehovae, seu סְגֻלָּה; ita etiam Joh. 12, 41.: hoc dixit Jesaias (6, 9 — 10.) quando vidit gloriam ejus, (nempe Christi) et de ipso loquebatur, ubi autem Jesaias gloriam Jehovae vidit; ita quoque Paulus 1 Cor. 10, 9. Christo divinitatem tribuit, cum scribit: μηδε εκπειραζωμεν τον χριστον, καθως τινες αυτων επειρασαν, (nempe αυτον, seu χριστον), και ὑπο των οφεων απωλοντο, illi enim Jehovam tentaverant. Ex his apparet, cui fundamento innixi fuerint Patres primorum quatuor seculorum, qui unanimiter docuerunt, τον λογον fuisse ductorem Hebraeorum in Arabia petraea. Quid proprie significet παρακλητος Joh. 14, 16. 26. 15, 26., ex adjectis patet, ubi dicitur: εκεινος ὑμας διδαξει παντα, και ὑπομνησει ὑμας παντα, ἁ ειπον ὑμιν et εκεινος μαρτυρησει περι εμȣ, ex quibus liquet, vocem significare doctorem et monitorem.

III. Eadem emergit certitudo ex explicatione vocis aut phrasis in ipsa serie orationis, ut si Gen. 24, 2. זְקַן בֵּיתוֹ senior domus ejus, mox

explicatur per הַמּוֹשֵׁל בְּכָל אֲשֶׁר לוֹ, dominans in omnia, seu gubernans omnia, quae ipsius erant; ita etiam Gen. 28, 14. בְּךָ per te, exponitur וּבְזַרְעֶךָ nempe per semen tuum seu posteritatem tuam; quid sibi velit Jer. 15, 12. exponitur v. 13.; πρωτοτοκος primogenitus, Coloss. 1, 18, Apocal. 1, 5. exponitur πρωτευων principatum tenens; πυρ αιωνιον, ignis aeternus, Matth. 25, 41. mox v. 46 dicitur κολασις αιωνιος, supplicium aeternum; בּוֹא בַגּוֹיִם ingredi ad gentes Jos. 23, 7., de nuptiis explicatur per praecedens הִתְחַתֵּן affinitatem contrahere; κεχαριτωμενη Luc. 1, 28., non, ut Sirach. 9, 8., significare speciosam, pulcram, sed, ut Sirach. 18, 17. et in 70. Ps. 18, 26., Deo acceptam, seu beneficiis a Deo affectam, explicatur v. 30: ἑυρες γαρ χαριν παρα τῳ Θεῳ, invenisti enim gratiam apud Deum. Confiteri in aliquo, et negare in aliquo, vel aliquem, vi linguarum orientalium, esse, partes alicujus sequi, et ejus se partibus abdicare, constat; adeoque et abnegare seipsum Luc. 9, 23., est suas partes et commoda relinquere; quousque autem id extendatur, et quid sit crucem suam tollere et Christum sequi, mox explicant, verba v. 24.: qui vult vitam suam conservare perdet eam; qui autem perdiderit vitam suam (praesentem) propter me, custodiet eam,

nempe felicem illam post mortem, adeoque sensus est, oportere Christo ita esse addictum, ut jactura commodorum et ipsius quoque vitae, nos nullatenus moveat. Ita etiam Marc. 14, 27. σκανδαλιζεσθαι sequentibus v. 28 — 31. per αρνεισθαι, abnegare, explicatur, ut idem sit, ac ita offendi vel decipi rebus gestis, ut quis partes Christi deserat. Nonnunquam in contextu latiori occurrit indicium rei, de qua integer sermo agit, ut Matth. 24, 34.; et sic etiam Job. 40, 15 — 24. et 40, 25 — 41, 26. בְּהֵמוֹת et לִוְיָתָן, ex adjecta descriptione, et ex collatione Ammiani Marcellini XXII. 31. intelliges, hippopotamum, et crocodilum esse.

IV. Certitudo quoque notionis aut sensus ex contextu orationis resultat, si oppositorum alterum est liquidum, quod alterum perfundit lumine; ita לַח esse viride et recens, patescit ex oppositione יָבֵשׁ aridum, Num. 6, 3. Ezech. 21, 3. vel 20, 18. et 17, 24. Quum perspexeris ex Jos. 9, 22 — 23. אֲרוּרִים maledictos, nihil aliud sonare, quam poena dignos, patebit, etiam קְלָלָה maledictionem esse meritum poenae, et ex oppositione Deut. 11, 12. בְּרָכָה esse meritum praemii, atque inde explicabis quoque הַחַיִּים וְהַמָּוֶת, vitam et mortem, quae phrasis Deut. 30, 19. cum priori commutatur, et Deut. 30, 15. per adjectum הַטּוֹב bonum, et הָרָע malum, disserte explicatur, quae explicatio etiam ad N. F. transferenda erit, uti Rom. 6, 21 — 23. Matth.

7, 14. 18, 8 — 9. 19, 16. etc. Satis notum est, בָּשָׂר, σαρξ, caro, notare etiam imbecillitatem, atque hinc ex oppositione Jes. 31, 3. רוּחַ, πνευμα, Spiritus, erit potens, validum; unde liquebit etiam 1 Cor. 15, 44. σωμα ψυχικον et σωμα πνευματικον; sed Ps. 78, 38. רוּחַ transeuntem halitum significare, adjectum ostendit: רוּחַ הוֹלֵךְ וְלֹא יָשׁוּב halitus transiens, qui non revertitur. Ita porro Ps. 119, 29. 86, 11. דֶּרֶךְ שֶׁקֶר, et Ps. 119, 163. שֶׁקֶר, viam mendacii seu falsam, et mendacium, esse religionem falsam, ex oppositione תּוֹרָה, legis liquet; nam lex per omnem Asiam occidentalem et orientalem usque in Sinam, idem valet ac religio. Hinc ex oppositione veritas interdum designat religionem, ut Ps. 86, 11. 119, 30. et 142. Ita etiam Jesus nomine veritatis religionem veram designat, Joh. 18, 37 — 38., uti et in Zend-Avesta religio compellatur veritas *).

V. Eandem certitudinem praestat parallelismus poëticus **). Nam cum membra poëtica pleraque sint vel synonyma, vel antithetica, cognito altero, certe quoque cognoscitur alterum. Sic quid proprie designent כְּרוּבִים, ab Ezechiele quidem c. 1. fuse descripti, neque tamen ad liquidum perducti,

*) Conf. Anhang zu Zend-Avesta von Kleuker, II. B. I. Th. S. 174.

**) Conf. Jahn Bibl. Arch. germ. I Th. I. B. §. 100. S. 439 — 442. vel Arch. Bibl. Lat. §. 91.

pandit parallelismus poëticus Ps. 18, 11., ubi de Deo canitur : וַיִּרְכַּב עַל כְּרוּב וַיָּעֹף וַיֵּדֶא עַל כַּנְפֵי רוּחַ. vectus est super Cherub et volavit; volavit super alas venti; unde apparet, Cherub esse nubem, quae vento fertur, uti etiam dicitur Ps. 104, 3.: הַשָּׂם עָבִים רְכוּבוֹ הַמְהַלֵּךְ עַל כַּנְפֵי רוּחַ qui facit nubes vehiculum suum, et incedit super alas venti. His concinit, quod legitur Exod. 40, 35., majestatem divinam implevisse tabernaculum sacrum, cum nubes se super ipsum demisisset. Conf. et Ps. 91, 1. 97, 2., ubi Deus insidet Cherubim, et Jes. 19, 1., ubi Deus nube vehitur in Aegyptum. Lucem, אוֹר, Ps. 97, 11. designare felicem sortem, indicat respondens in altero membro gaudium, שִׂמְחָה; atque ita etiam Luc. 1, 79. in Cantico Zachariae σκοτος et σκιαν θανατȣ esse miseriam, testatur respondens in sequenti membro ὁδος ειρηνης, seu conversatio prospera. Sic quoque Jes. 49, 6. שִׁבְטֵי יַעֲקֹב, tribus Jacobitarum, ostendit, in altero membro נְצוּרֵי יִשְׂרָאֵל esse stirpes Israelitarum, à نضر virere. Voce רְפָאִים Jes. 26, 14. non disignari Rephaeos, neque gigantes, sed manes, comprobat vox מֵתִים, mortui, quae in sequenti membro legitur. Infinita sunt hujus generis, quae non persequar; id modo adnoto, etiam in prosa Arabica persaepe parallelismum hunc observari, atque id nec ab Hebraismo esse alienum, ut Luc. 1, 35. δυναμις ὑψιστȣ miraculum altissimi, ad tan-

dem hanc significationem determinat πνευμα αγιον in sequenti membro; et επελευσεται επι σε, *veniet in te*, illustrat verbum sequentis membri επισκιασεται σε, quod quidem confirmat etiam Arabicum ظلل, quod in IV., ut Aramaeum טַלֵּל, non solum *obumbrare*, et *umbram captare*, sed etiam *habitare* significat, hinc vertendum: *habitabit in te*. — Parallelismus syntacticus notiones quidem et sensum non definit, nihilominus illustrat, cum rectam membrorum divisionem adjuvat, unde demum manifestum fit, quae membra sibi invicem respondeant; sic Ps. 9, 7. dispungendum est: *quod hostes attinet, consumti sunt; — vastitates perpetuae, nam evertisti urbes; — periit memoria eorum, eorum inquam*, quod ultimum, nempe interitus memoriae, spectat ad hostes in membro primo. Ita etiam Ps. 45, 6. *sagittae tuae acutae, — populi sub te cadent, — in cor hostium regis*, quod ultimum rursus respicit sagittas in membro primo. Ita quoque Ps. 149, 8. *ignis et grando — nix et fumus*, ubi fumus respondet igni, uti nix grandini. Conf. et Deut. 32, 41. Jes. 2, 7. 44, 5. Ps. 113, 5 — 6. ac alia in Lowth de Poesi Hebr. p. 376 — 378. et Vorrede zu Lowth's Uibersetzung Jesaiae.

§. 21.

Contextus ubique conferendus est.

Contextus orationis quidem, ut jam supra monuimus, haudquaquam in omni loco hujus est ge-

neris, nihilominus ubique, etsi notio vocum et sensus propositionum ex usu loquendi notus et clarus esse videatur, sedulo conferendus est; persaepe enim notio aut sensus pro ratione contextus diversus est, aut saltem aliqua ratione variat; ita per contextum λυω et δεω aliud sonat Matth. 19, 19., et aliud Matth. 18, 18.; נָתַן plerumque dare, ast Num. 20, 21. 21, 23. Jos. 10, 19. Jud. 1, 15. 34. 3, 28., et in pluribus aliis locis est permittere, quod Latini etiam per dare exprimere possunt et solent; הֵקִים et קִיֵּם stabilire, ast Ps. 119, 38. 104., et alias non raro vi contextus, opere complere promissum; notio verbi ידע et דַּעַת est vulgatissima, ast Ps. 1, 6. 82, 5. 91, 14., et saepe alias est curare, curam gerere. et Prov. 29, 7. דַּעַת per contextum ad judicialem cognitionem caussae determinatur. Ita quoque יִזְרְעֶאל Hos. 1, 4. et 2, 2. diversa significat, et in ipso loco Hos. 1, 4. bis positum, diversae est significationis, conf. ذرع incidit cum violentia, et زرع seminavit. Verbum נוּכַל vi contextus Gen. 29, 8. 44, 26. est audemus, ast Num. 13, 31. est praevalebimus, alias plerumque posse. In vocibus polysemis latissimus patet campus errandi, nisi interpres ducem sequatur contextum, uti in דָּבָר, quod jam est sermo, jam promissio, jam minae, jam revelatio seu vaticinium, jam res gesta, jam res, jam mandatum, jam prohibitio, jam historia seu narra-

tio rei gestae, jam caussa juridicialis, et si quid aliud est simile. Hujus generis voces et phrases quam plurimas adferre, nihil esset negotii, si limites libelli admitterent, et nisi meliora lexica utriusque Foederis aliunde suppeditarent. Addam tamen, quod in Lexicis locum non habet, Jesum Joh. 10, 8., vi contextus, loqui de illis solis, qui ante ipsum venerunt, et se ostium dixerunt; et Joh. 1, 31. Jesum Johanni Baptistae ratione dignitatis et officii, non fuisse cognitum.

Non sola autem haec variatio notionis et sensus pro varietate contextus, sed etiam vis probandi ex contextu ducta vel ducenda, collationem ejus in omni loco urget; videndum enim est, an, et quale argumentum contextus suppeditet, atque indaganda et eruenda ex ipso est substrata orationi materia, consilium authoris, aliaque adjuncta, ad quorum rationem notio vocum et sensus phrasium adcommodatus est.

Denique curiosa inspectio contextus manifestat etiam ellipses, quae et in Veteri et in Novo Foedere non paucae occurrunt. In illo frequentissime subticetur verbum dicere, cujus ex unico Jeremia exempla produco 4, 19. 5, 1. 6, 17. 18. 8, 14. 10, 19. 30, 4 — 5. 8 — 9. 10. 31, 3. 49, 25. Sermonem abruptum, ex ellipsi vel reticentia supplendum Gen. 44, 5., reapse supplevit interpres Vulgatus, Alexandrinus et Syrus, conf. et Exod. 18, 11. Lev. 4, 2. Num. 9, 16. 26, 4. 59. 1 Sam.

16, 7. 2 Reg. 6, 33. 2 Chron. 2, 3. 24, 14. Neh. 3, 8. Gravior ellipsis vocis שָׁנָה Dan. 9, 24. ex v. 2. necessario admittenda est, ut responsum Gabrielis non repugnet precibus Danielis; quare etiam necessario legendum est שִׁבְעִים שִׁבְעִים, septuaginta, septuaginta, nempe anni illi a Jeremia C. 25, 11 — 12. et C. 29, 10. praedicti, ut repetitio vim addat affirmationi, conf. Deut. 2, 27. 16, 20. Si Psaltes saepius orat, ut non confund[a]tur, intelligendus est de frustratione suae spei, et idem est, ac ne frustretur spe sua, ut Ps. 119, 116. disserte additur. In N. F., praesertim in scriptis Pauli, more Rabbinico eruditi, frequentia sunt ellipseos exempla; ita Luc. 6, 35. δανειζετε μηδεν απελπιζοντες, loco ελπιζοντες απ' αυτων, solent enim Graeci Verbo praefigere Praepositionem, quae ad Nomen expressum vel silentio suppressum refertur, ut jam olim Chrysostomus Homil. XVIII. in Matth. 5, 42. adnotavit; ita quoque 1 Tim. 4, 1 — 3., ubi mentio fit ψευδολογων, κωλυοντων γαμειν, (supplendum κελευοντων) απεχεσθαι βρωματων; sic etiam, si Jesus Matth. 6, 24. dicit, neminem posse duobus servire dominis, intellige, contraria jubentibus, uti Deo et cupiditati divitiarum; et si Joh. 15, 5. ait: sine me nihil potestis facere, intelligendum est in munere apostolico, seu in propaganda doctrina, conf. porro 1 Reg. 3, 12. cum 10, 23. Prov. 13, 1. Joh. 7, 39. Act. 19, 3. Rejiciendae autem sunt omnes illae ellipses,

quae a modernis quibusdam interpretibus, non ex contextu erutae, sed ex praejudicatis opinionibus eo solo consilio inventae sunt, ut res extraordinaria seu miraculum, aut praedictio rei futurae, vel etiam dogma rationis limites transcendens, eliminetur; ita contextus Matth. 14, 32. nequaquam indicat, inter επι et θαλασσης supplementum αιγιαλος, ut contendit Paulusius in Phil. Krit. Comm. ad h. l.; uti quoque Matth. 17, 27. ante ἑυρησεις additamentum αποδȣς, vel πωλησας, contextus nullatenus postulat, sed respuit; ita etiam Rom. 5, 6. οντων ἡμων ασθενων, contextus non innuit, mente supplendum esse εν πιστει *).

§. 22.

Contextus locorum ambiguorum et graviorum.

In locis ambiguis, et in illis, qui majoris momenti, aut sedes argumentorum theologicorum sunt, contextus omnis, proximus, remotus et remotior, multo attentius conferendus, et ex omni parte considerandus est, ut perspiciatur, quam ex pluribus notionem, aut quem sensum locus postulet. Sic Matth. 5, 17: μη νομισητε, ὁτι ηλθον καταλυσαι τον νομον η τȣσ προφητασ· ȣκ ηλθον καταλυσαι αλλα πληρωσαι. Jesus quidem in praecedentibus et consequentibus inprimis de moralibus legibus loqui-

*) Confer. Wolf de agnitione Ellipseos in interpretatione LL. SS. 1800. in Pott. Sylloge Commentatt. Theolog. T. IV. p. 107 — 167. T. VII. p. 31 — 86. et T. VIII. p. 1 — 23. Storr Diss. P. III. p. 88.

tur, cum autem hoc loco non commemoret Psalmos et reliquos libros morales: liquet, Eum non loqui hic quidem proprie de legibus, sed generatim de libris sacris, qui omnes nomine Legis et Prophetarum veniebant, quod confirmatur versu sequenti 18., ubi Jesus prosequitur, nec Jota aut apicem, seu angulum characterum Hebraeorum, abolitum iri, quod utique libros concernit, et si hic solius legis mentionem facit, quum prius Legem et Prophetas memorasset, eo magis confirmatur, non de legibus, sed de libris esse sermonem, conf. etiam Matth. 7, 12. 11, 13. 22, 40. Luc. 16, 16. et meam Introd. in LL. V. F. §. 1. p. 5. Qui restringunt verba Jesu ad praecepta moralia, falluntur per contextum remotum, in quo Jesus aliquas leges Mosis reformat et perficit; ast verbis allegatis occurrit objectioni, ac si id sibi sumeret, ut abroget et aboleat libros sacros, et dicit, se ab hoc consilio longe abesse, sed velle se hos libros, et doctrinam eorum perficere; nam שׁרא, solvere, in dialecto Syriaca inter cetera etiam significat abrogare, abolere, ut in Bar Hebraei Chron. Syr. p. 70. Lin. 9. p. 47. l. 18. p. 168. l. 16. p. 486. lin. 19. Eadem hac significatione gaudet etiam verbum respondens Arabicum, حَلَّ in II. Atque haec explicatio confirmatur quoque ex Joh. 10, 35.: ου δυναται λυθηναι ἡ γραφη, non potest aboleri, aut abrogari scriptura. Aliud prorsus est Matth. 18, 18., ubi in praecedentibus et sequentibus sermo

est de condonandis et ignoscendis injuriis, laesionibus et offensionibus, quibus illatis, v. 15 — 17. monendus primum est qui intulit; quodsi monitionem obstinate rejiciat, coram uno alterove teste corripiendus; et denique, si in obstinatione perseveret, ecclesiae deferendus; quod si nec hanc audierit, sicut ethnicus et publicanus habendus est; quibus Jesus demum subjicit v. 18: ὁσα εαν δησητε επι της γης, εσται δεδεμενα εν τῳ ȣρανῳ· και ὁσα εαν λυσητε επι της γης, εσται λελυμενα εν τῳ ȣρανῳ, id quod sequentibus versibus 19 — 35. de condonatione injuriarum amplius explicat, et etiam parabola illustrat. Atque hanc notionem componendi dissidium et negotium, verbo solvere, שרא, Syri persaepe tribuunt, ut Bar Hebraeus in Chron. Syr. p. 404. l. 15., et in Michaelis Syr. Chrestom. p. 87. l. 9 — 12. Thalmudici quoque (teste Buxtorfio in Lexic. Chald. Thalm. Rabb. col. 2252.) saepe dicunt: שרא ליה מריה solvat, i. e., ignoscat illi Dominus. Aliud rursus est Matth. 16, 19., ubi Jesus Petro largiturum se promittit claves regni coelorum seu ecclesiae, et addit: ὁ εαν δησης επι της γης, εσται δεδεμενον εν τοις ȣρανοις· και ὁ εαν λυσης επι της γης, εσται λελυμενον εν τοις ȣρανοις. Sive claves designent insignem et extraordinariam sapientiam et scientiam, ut quidam ex Luc. 11, 52. exsculpunt, sive potestatem et munus, ut Jes. 22, 22. Apoc. 3, 7: sensus verborum ligare et solvere ex usu loquendi Thalmudicorum certus est, qui verbis

אסר et שרא frequentissime utuntur de prohibitione et praecepto *). Aliud exemplum hujus generis habes Ps. 110., in quo quidem Psaltes exponit v. 1 — 4. effatum Jehovae ad eum regem, quem vocat dominum suum (v. 1. נאם יי לאדני et v. 4. נשבע יי), et quem Deus ad dexteram suam sedere jubet; ast v. 5. Psaltes ait, אדני seu Dominum, nempe Deum esse ad dexteram hujus regis, qui

*) Operae pretium fuerit, perscribere loca Thalmudicorum ex Vetstenii N. T. ad h. l.: Thalm. Jerosol. Jom Tob. f. 60. 1.: R. Jochanan dixit: quare hunc seniorem ad me adduxistis? quodcunque ego solvo, ille ligat; quodcunque ego ligo, ille solvit; ib.; nec liges, nec solvas; et 63, 3. Megilla fol. 26. 2.: hic ligat, ille solvit. Jeros. Orla f. 61. 2.. R. Chaja dixit: quodcunque alibi tibi ligavi, solvo tibi hic. Schabb. 16. 4. et Aboda Sara f. 7, 1.: quaesivit a sapiente uno, et ille ligavit: ne quaerat ab alio, ne forte solvat. Demai VI. 11: os quod ligat, est os quod solvit: Tosaphta in Jebamoth 1.: quamvis e Schammaeanis et Hillelianis hi ligarent, et illi solverent; ib. IV.: sapiens, qui judicat judicium, pronunciat mundum aut immundum, ligat ac solvit. Berach. f. 23. 1. Rabbena solvit, Rav Ada ligat. Pesachim IV. 5.: schola Schammaeana ligat, Hilleliana solvit; VI. 2.: dies festus hoc docere potest, in quo solverunt nomine operis, et ligarunt nomine Sabbathi. Jerosol. Schabb. f. 4, 1.: schola Schammaeana illud ligat, Hilleliana solvit; et ib. et f. 16, 12. Jom Tob f. 61, 1. Teruma V. 4. Sanhedrin f. 100. 1.: nunquam solverunt nobis corvum, nec ligarunt columbam. Jerosol. Aboda Sara f. 30. 3.: dixit Rabba Afhu: quaesivit a me R. Gamaliel filius Rabbi: quid si eatur in forum? et ego illi ligavi. Tanchuma f. 1. 3.: dicit R. Jochanan: necessario solverunt salutationem Sabbatho: et f. 74. 3: sapientes solverunt omnia olea. Schabb.

tamen v. 1. ad dexteram Dei sedet; cum autem Deus non possit dici ad dexteram ejus esse, qui a dexteris Dei sedet, nomine אֲדֹנִי amplior dignitas sedentis innui videtur; quodsi v. 5. tropice de auxilio divino in bello, exponas, non repugno; sed quaero, quale v. 6. et 7. sit subjectum; si dixeris Deum, explicare non poteris v. 7., ubi de torrente in via bibit victor et caput elevat, quod de Deo dicere non potuit Psaltes; si dixeris, regem illum esse subjectum, non video, quomodo ei adcommodari possit v. 6. יָדִין בַּגּוֹיִם; nam judicium inter gentes, aut si magis placet, poenam a genti-

---

I. 5.: schola Schammaeana dicit: non macerant atramentum vespere sabbathi: at Hilleliana solvit. Jeros. Schabb. f. 3. 1. R. Meir solvit mixtionem vini et olei ad ungendum aegrotum Sabbatho. Tharg. Esth. 2. III. 8.: quo die Judaei volunt emere a nobis, dies solutus est; quo die autem nos Persae volumus emere ab illis, dies prohibitus est. Bereschith R. LV. 3. Tibine permissum, et mihi vetitum est? לך שרי ולי אסיר. Bemidbar R. XIV. 4. et XV. in Eccl. 12, 1.: viri collectionum, per hos intelliguntur discipuli sapientum: alii res mundas, alii immundas pronunciant; alii ligant, alii solvunt; alii rem pollutam, alii licitam pronunciant. — His addo, حل solvit, med. i., esse licitum fuit, et in II. licitum fecit. Hebr. אָסַר ligare, sibi aliquid prohibere, et אֱסָר, אִסָּר vinculum, et de votis, quibus se quibusdam rebus interdicebant Num. 30, 3 — 15, ac אָסַר Ps. 105, 22, ubi parallelismus synonymus notionem hanc determinat; ast loca haec Bibliorum omnino integra legenda sunt.

bus exigere, alias constanter Deo adscribitur; itaque elabi nulla ratione poteris, nisi agnoscas regem multo augustiorem hoc Psalmo cani, quin opus sit, alia urgere, quae huic regi soli convenire videntur, sed a recentioribus eludi solent.

Quodsi in contextu orationis nihil deprehenditur, quod vagam vocis notionem, aut ambiguum orationis sensum figat, et dubiis eximat: locus quidem, nisi aliunde lumen affulserit, manet dubius, plerumque tamen et fere semper, prout jam supra monuimus, pro alterutra notione aut sensu plures vel graviores pugnant rationes, quae notionem et sensum illum reddunt probabiliorem. Ita an ἡ ανω Ιερουσαλημ Gal. 4, 26., sit Jerusalem coelestis, an antiquior illa Jerusalem, seu Salem aevo Abrahami, permagnus est interpretum dissensus; secundae tamen sententiae magis favet contextus, qui de Jerusalem Israelitarum agit, quae, etsi coelesti Jerusalem opponi possit, aptius tamen opponitur Jerusalem antiquiori terrestri. Locus multo magis vexatus est Gal. 3, 20., de quo conf. Car. Theoph. Anton Explicatio Loci Gal. III. 20. critica, historica et exegetica, ed. II. 1803. in Pott. Sylloge Commentatt. Theolog. T. V. p. 141 — 274., ubi quamplurimas diversas interpretationes hujus loci collectas reperies. Plura etiam in Prophetis sunt loca hujus generis, ubi non raro ipsum etiam tempus Aoristorum Hebraicorum difficulter definiri potest, an Praeteritum, an Praesens, an vero Futurum sit; sic Amos 4, 6 — 11. Aoristi primi videntur de Praesenti usurpari, quia v. 12. de eadem

re Aoristus secundus de Praesenti occurrit; verum et illi Aoristi primi, et hic secundus quoque de Praeterito explicari possunt.

§. 23.

Consilium scriptoris, seu scopus.

Consilium scriptoris, seu id, ad quod author in libro integro, vel in loco quolibet singulari collineat, dicitur scopus, atque hujus collatio ad rectam interpretationem confert eatenus, ut omnis notio et sensus, qui scopo repugnat, falsus; qui autem solus scopo convenit, aut saltem magis convenit quam omnis alius, verus sit sensus. Ratio regulae hujus ex se evidens est, uti etiam minime ignoratur, notionem et sensum non raro pro ratione scopi nonnihil variare. Ita vox φως Joh. 1, 4 — 5., singularem et magis definitam habet notionem, quia, ut v. 8. disserte edicitur, 'collineat in Mendaeos seu discipulos Johannis Baptistae, qui hunc suum doctorem dicebant fuisse το φως seu lucem; atque ex hoc ipso liquet, etiam reliquas hujus generis voces Joh. 1, 1 — 14., ut λογος, ζωη, σκοτος, certis sententiis adversariorum Ephesi commorantium opponi, et arctiori significatione venire, de qua autem, quia antiqua monumenta nihil liquidum referunt, diversae sunt sententiae eruditorum, quorum plerique non videntur animadvertere, manifestum Johannis in toto hoc loco consilium esse, ut Christo summam et divinam dignitatem vindicet, quo etiam spectant sermones Jesu a Johanne 8, 54. 11, 4. 12, 28. 13, 31 — 32. 16, 14 — 15. 17, 1 — 10. etc. adducti. — Cum Daniel c. 9, 2. seqq. ar-

dentes preces fudisset, ut captivitas, prout Jeremias 25, 10 — 12. 29, 10. praedixerat, anno septuagesimo jamjam adpropinquante, finiatur: consilium Gabrielis Dan. 9, 24. fuit et esse debuit, edocere Danielem, instare omnino finem captivitatis post 70 annos, non autem, post 70 hebdomades annorum, seu post 490 annos adventurum Messiam; ast potuit idipsum v. 25. seqq. adjungere, et reapse adjunxit, atque futuram illo tempore rursus urbis et templi vastationem antiquiori per Nebucadnezarem vastationi opposuit. Qui hos versus Dan. 9, 25. seqq. ad tempora Antiochi Epiphanis trahunt, dissimulant, vel non observant, tum urbem et templum non fuisse eversum, nostro autem loco eversionem eversioni opponi. — Jesaias quidem c. 40 et sequentibus capp. populum Hebraeum, et inprimis probam ejusdem partem saepe sistit tanquam servum Dei; ast c. 52, 13 — 53, 12. hoc ejus consilium esse nequit, quia servum hunc Dei c. 53, 2. 3. 9., ut virum unicum adumbrat, et 53, 8. a populo disserte discernit. — Consilium Pauli 1 Tim. 3, 15. non est, exponere praedicata ecclesiae, quam duntaxat ὡς ἐν παρόδῳ attingit, sed animo Timothei altius infigere, quae sit fundamentalis Evangelii doctrina.

Quantam lucem sensui affundat scopus, Clericus illustrat Horatii Ode 3 Libri III., quae ignoranti consilium poëtae, fere aenigma est; atque id transfert ad Epistolas N. F., inprimis vero ad Epistolam ad Romanos, in qua Paulus totus in eo est,

ut praejudicatas Judaeorum opiniones refutet *). Ast idem valet de Ecclesiaste et Cantico, atque aliqua saltem ratione de reliquis libris. Quodnam autem fuerit authoris consilium, petendum est ex historia, aut si monumenta historica, uti in plerisque libris scripturae sacrae, desunt, eruendum est ex attenta librorum, aut locorum lectione saepius repetita. Invento libri scopo proderit etiam observasse, quae author pro ejusdem ratione referre, et quae silentio praeterire voluerit; hac enim observatione neglecta, perfacile, quae omissa, aut expressa sunt, in sinistram partem trahuntur; sic e. gr., cur author librorum Paralipomenon haec potissimum, quae refert, scripserit, alia praeterierit; cur Matthaeus et Johannes prorsus nullam de ascensione Christi mentionem fecerint, de quo confer Magazin für Christl. Dogm. u. Mor. VII. S. 55 — 75.

§. 24.

Occasio scribendi.

Cum scopo seu consilio authoris arctissime cohaeret occasio scribendi, seu ratio, quae authorem movit, ut scriberet; atque haec ipsa consilium scriptoris pandit, aut saltem ampliore lumine perfundit. Id quidem inprimis in Psalmis et in epistolis Apostolorum, nihilominus tamen in ceteris quoque libris, et ipsis etiam historicis obtinet. Nam scriptores sacri, ut profani, haudquaquam ubique locorum in universum, sed plerumque de certis

*) Le Clerc Briefe einiger Holländischen Gottesgelehrten. 1779. I. Th. S. 19 — 21.

adjunctis historicis, quae occasionem scribendi praebuerunt, loquuntur, aut de doctrina, quae in contentionem veniebat, mentem suam aperiunt, et alia pro ratione temporum monent et scribunt; quare verba sua ad haec adjuncta historica exigunt, et his convenienter, jam latius, jam arctius, intelligi volunt, quod ab interprete minime negligendum est. Quemadmodum autem scopum non solum integrorum librorum, sed etiam locorum singulorum investigandum, et ei interpretationem adcommodandam esse monuimus: ita utrumque etiam de occasione scribendi, observandum esse, repetimus.

Quae autem fuerint illa adjuncta historica, quibus author ad scribendum motus fuit, ex historia illius aetatis, et ex ipso libro et libri partibus, praesertim si historia deest, magna diligentia quaerendum et eruendum est, quae, etsi fuerit maxima, nequaquam tamen semper et ubique propositum adsequitur, praesertim in Psalmis, quorum plures adhucdum lumen ex subtiliori investigatione occasionis scribendi, desiderant. Sic aetate authoris Ps. 22., ex occasione haec canendi, omnibus patebat, Psalten haec vel de se ipso, vel in assumta persona Messiae protulisse, de quo nunc ex ignorantia aut incertitudine illius occasionis, diversa dubia, profecto non levia, moventur, quae omnia ad liquidum perducere, eousque difficile erit, donec occasio scribendi ex historia et argumento Psalmi evicta fuerit. Non raro tamen occasionem, qua haec prolata aut scripta fuerunt, author ipse expo-

nit; uti occasio, qua Jesus sententiam de divortio et coelibatu tulit, Matth. 19, 3 — 12. adjecta est; ei itaque interpretatio diligenter adaptanda erit. Ita etiam Paulus 1 Cor. 7, 1. planis verbis dicit, sibi a Corinthiis quaestiones de matrimonio, divortio et coelibatu, fuisse perscriptas; quae autem illae et quales fuerint, ex attenta lectione eorum, quae Paulus respondet, nullo negotio eruitur, et hae praebent clavem interpretationis, quae hic loci, quo gravior est quaestio, eo adcuratius ad amussim exigenda est. Persaepe contextus et substrata materia, attente considerata, pandit occasionem, qua haec scripta fuere; sic illud 1 Cor. 4, 5. quid habes, quod non accepisti? non de gratia, sed de munere praedicandi evangelium, et de doctrina evangelii, esse dictum ex occasione quorundam doctorum superbientium, contextus clare ostendit.

§. 25.

Substrata materia.

Amplissimum in omni interpretatione usum habet substrata sermoni materia, dummodo certe et adcurate cognita sit; per eam enim notiones vagae aut ambiguae ita definiuntur, ut omnia dubia excludantur. Ita cum Moses Num. 16, 22. occasione exitii Dathan sociorumque ejus, ac Num. 27, 16. denunciata sibi morte, Deum compellat אֱלֹהֵי הָרוּחוֹת, substrata materia indicat, Deum dici omnis halitus vitalis dominum. Notissima

phrasis וַיִּחַר לוֹ, nempe אַף, exarsit illi ira, per materiam substratam 1 Sam 15, 11. 2 Sam 6, 8. 1 Paral. 12, 11. ad tristitiam refertur, quod confirmatur usu loquendi Arabico, in quo حَرَّة est aestus in gutture vel pectore ex ira vel ex dolore. Quid sit Nah. 2, 6. הַסֹּכֵךְ tegens, pandit substrata materia, oppugnatio urbis Nineves, et appropinquatio hostis ad moenia, quae testudine fiebat. „Qui novit, ad Euphratem nec esse saxa, in quorum rimis Jeremias c. 13, 4 — 7. cingulum abscondere potuisset, nec nomen פְּרָת unquam de hoc fluvio sine adjecto נָהָר occurrere: facile intelliget פְּרָתָה Jer. 13, 4 — 7. non esse Euphratem, sed vocem pro אֶפְרָתָה seu Bethlehem esse positam, ut jam vidit Bochartus Diss. Geogr. T. II. Opp. p. 9 — 58. In loco Matth. 18, 18 — 20. de condonatione injuriarum, et compositione dissidiorum, quae inde oriuntur, esse sermonem, materia substrata in antecedentibus et consequentibus liquido ostendit. Ita etiam, ubi Deus dicitur, in bonam vel malam partem, venire, nihil aliud indicari, nisi vel insignia beneficia divina, vel acerbas calamitates divina providentia immissas, materia substrata in pluribus locis manifeste ostendit.

Regulam itaque constituimus, ut notio vel sensus, qui solus, aut saltem magis, quam quilibet alius, convenit substratae materiae, verus; qui vero eidem repugnat, falsus sit. Hac norma recte

utemur, si materia substrata sit plene et clare cognita, quod autem secus est, si agitur de rebus aut doctrinis sublimioribus, quae intellectum humanum eatenus transcendunt, ut modum existendi perspicere non possimus; quare ad has veritates regula extendenda non est. Qui nostra aetate rationem constituunt supremum, non tantum revelationis, sed etiam rerum extraordinariarum et omnium doctrinarum revelatarum judicem infallibilem, manifeste confundunt rationem absolutam, quae non existit nisi in solo Deo, cum ratione humana, quae arctis limitibus circumscripta est, quare etiam neque ordinaria et naturalia omnia penitus perspicere potest; hinc profecto illegitima est usurpatio, si sibi judicium de omnibus quoque extraordinariis et sublimioribus adroget. Quodsi in aliis sensus non adcurate respondere materiae substratae deprehenditur, ut in hyperbole, aut cum universim et absolute quidpiam enunciatur, quod solum de parte potiori, aut sub conditione valet: nulla est difficultas; nam hic est omnibus nationibus et linguis in ipsis quoque libris communis usus loquendi, non ad vivum resecandus, cujus vis ex sensu communi et ex aliis similiter dictis, abunde liquet; sicut quum כֹּל, πας, omnis, usurpatur, ubi de plerisque duntaxat sermo esse potest; uti si Paulus 1 Cor. 6, 18. scribit: *παν ἁμαρτημα, ὁ εαν ποιησῃ ανθρωπος, εκτος τȣ σωματος εστιν, ὁ δε πορνευων εις το ιδιον σωμα ἁμαρτανει*: id tantum eatenus valet, pleraque alia peccata non spectare ad corpus proprium, nequaquam

vero eo pertinet, ut gula, ebrietas, mutilatio, autochiria, et quae sunt hujus generis alia peccata, non committantur in proprium corpus, aut non sint peccata. Conf. quoque Ps. 14, 2 — 3. 53, 3 — 4. etc. Id praesertim in proverbiis seu sententiis solerter observandum est, quae ab eo, quod in communi vita plerumque accidit, depromtae sunt, et universim enunciantur; sed etiam in aliis minime negligendum, uti si dicitur, de exercitu Hebraeorum in praelio nullum caesum fuisse, vel de hostibus nullum evasisse, quae hyperbole in profanis quoque antiquis authoribus occurrit, et Diodorus Sic. XI. 23. disserte edicit, non esse nisi communem formulam loquendi, qua ipse quoque Diodorus Siculus saepius utitur, ut X. 24. XIV. 67. XV. 12. 72.

§. 26.
Reliqua adjuncta seu circumstantiae.

Ut sensus penitus perspiciatur, necessarium quoque est, ut omnia reliqua libri et authoris adjuncta historica seu circumstantiae conferantur, uti, quis et qualis sit libri author, an rudis vel eruditus, an more suae aetatis philosophus, ut Ecclesiastes, vel an theologus, ut Paulus; unde oriundus, ubi adoleverit, in qua regione, in quo loco, et quibus lectoribus scripserit; quo sermone et stilo utatur; quo ingenio praeditus fuerit; qua aetate vixerit, et qualis fuerit illa aetate et in illa regione reipublicae et religionis conditio; quae in ipsa orationis serie sit persona loquens, quae, in-

primis in libris poëticis et propheticis persaepe, quin lector moneatur, variat, ut Ps. 12, 15, 24, 91, 109, Mich. 6, 1 — 8. 7, 7 — 17. Jes. 40, 1 — 12. 42, 1 — 25. 49, 1 — 7. Hab. 1, 2 — 2, 4. Jer. 2, 25. 3, 22. 4, 19 — 21. 5, 1. 8, 18 — 21. 10, 33 — 35. 31, 3. etc. Paucis ut dicam, lector et interpres, ut mentem authoris perspiciat, se totum in locum authoris et primorum lectorum transferre debet; nam illis commemoratis omnibus adjunctis historicis seu circumstantiis collatis, sensus plena luce perfunditur. Ita e. g. Paulus prorsus alia disputat in epistola ad Romanos contra sententias Pharisaeorum, quam in epistolis ad Corinthios, ad Galatas, et ad Hebraeos. Imo et phrases eaedem pro diversitate lectorum, quibus scribitur, nonnunquam alio sensu pollent, ut adorare aliquem, Hebraeis et orientalibus omnibus quemlibet cultum et civilem et religiosum, at Graecis, quibus Paulus Philipp. 2, 10., et Johannes Apoc. 22, 9. scribit, nonnisi cultum Deo exhibitum significat. Paulus in I. Ep. ad Cor. c. 12 — 14. omnia dona extraordinaria recenset, nec tamen ullam de potestate ejiciendi daemones, quorum aliquem ipse Act. 16, 18. ex puella Philippis ejecit, et quae potestas a Christo Matth. 10, 8. Luc. 10, 16. Marc. 16, 17. credentibus promissa fuit, nullam facit mentionem, sed χαρίσματα ἰαμάτων ter 1 Cor. 12, 9. 28. 30. commemorat; atque idem quoque observatur in Johanne, qui in Evangelio saepius narrat, aegros fuisse a Christo sanatos, uti in

reliquis Evangeliis legimus, de ejectis daemonibus autum altum observat silentium *). Ita locus Jos. 10, 12 — 14. versibus exaratus, aliter exponendus, quam si prosaice scriptus esset. Qui Gen. 1, 5. pugnare cum v. 14. seqq. opinantur, non perpendunt, talem pugnam ab authore, qui pro aetate sua permagnam perspicaciam prodit, prorsus esse alienam. Ast exempla hujus generis sunt innumera, ut plura allegare supervacaneum sit.

---

*) Conf. Jahn's Bibl. Arch. I. Th. II. B. §. 232. S. 476 — 480. quod in Latina Archaeol. Bibl. §. 196. p. 323. in compendio legitur.

Caput III.

De locis parallelis.

§. 27.

Loca parallela.

Parallela dicuntur loca, quae a se invicem quidem distant, similia tamen sunt, quia vel eaedem voces aut phrases in simili orationis contextu atque eodem significatu occurrunt, vel quia res, aut historia, aut doctrina eadem exponitur. Prior parallelismus locorum dicitur verbalis, posterior vero realis audit; uterque latissimum in omni interpretatione habet usum, si modo alteruter locus clarus, et omni difficultate expeditus est.

Si locus exhibet vocem aut phrasim ambiguam aut obscuram, quae per orationis contextum, substratam materiam, scopum ceteraque adjuncta nequaquam determinatur et illustratur; alius vero locus exhibet vocem eandem vel ab ea derivatam, aut phrasim eandem vel similem, simili orationi intex-

tam cum claris determinationibus, vel adjecto synonymo vel descriptione, vel in perspicuo parallelismo poëtico synonymo vel antithetico, aut in alia clara antithesi: hic posterior locus priorem locum illustrat, et directum firmumque praebet de usu loquendi testimonium. Sic מֵלִיץ Job. 33, 23. esse internuncium interpretem, testatur locus Gen. 42, 23.; עוֹלָם 2 Sam. 7, 16. non solum longum temporis spatium, sed propriam perpetuitatem significare, ex circumscriptione Ps. 89, 35 — 38. Jer. 33, 25. 26. liquet; חֶמְדָּה Haggai 2, 7. designare thesauros desiderabiles, ex 1 Sam. 9, 20. coll. 8, 10 seqq. Gen. 49, 26. 2 Parall, 32, 27. Jer. 25, 34. Hos. 13, 18. Nah. 2, 10. patet; מִבֵּין רַגְלָיו Gen. 49, 10., in quo multi varie argutantur, designare foetum seu posteros, ex Deut. 28, 57. elucet, atque totus hic locus Gen. 49, 10. adeo vexatus, ab Ezechiele c. 21, 27. vel 32. clare explicatur. Quid significet פָּסַח cum עַל constructum Exod. 12, 23. 27., obscurum est, quia Syri verbum non habent, et Arabum فسح et فسخ non nostro, sed intransitivo verbo פָּסַח, claudicare, respondet; ast ex Jes. 31, 5. גָּנוֹן וְהִצִּיל פָּסֹחַ וְהִמְלִיט patescit, esse tueri vel protegere; nam locus hic aperte dicit: protegendo et eripiet, tuendo et liberabit. Digitum Dei Exod. 31, 18. Deut. 9, 10. esse potestatem a Deo concessam, apparet ex Exod. 8, 5. Luc. 11, 20. conf. quoque Exod. 34, 28. Qui nolunt agnoscere Zach. 9, 1. אָדָם,

collective homines, opponi Israelitis, convincuntur ex eadem oppositione Jer. 32, 20. Phrasim χριστον ενδυσασθαι, esse, carnis seu corporis curam non habere, patet ex adjecto, quod legitur Rom. 13, 14. Locus nobilis Joh. 1, 29. ιδε ὁ αμνος τȣ θεȣ, ὁ αιρων την ἁμαρτιαν τȣ κοσμȣ, quem rationi soli inhaerentes theologi nostrae aetatis, pervertere conantur, per parallelismum inexpugnabilis et salvus est; primum enim αμνος τȣ θεȣ, respicit Jes. 53, 7., et ex similibus phrasibus, ut θυσιαι κυριȣ, victimae Domino consecratae; δωρα τȣ θεȣ, dona Deo sacrata, Lev. 21, 6.; θυσιαι των ειδωλων victimae idolis sacrae, Num. 25, 2. etc., patet, esse ovem Deo sacram, et ad victimam destinatam; dein ἁμαρτιαν in hac, alias frequenti formula loquendi, esse poenam peccati, et integram phrasim נָשָׂא עָוֹן, סָבַל עָוֹן, נָשָׂא חֵטְא, nihil aliud dicere quam, pati poenam iniquitatis aut peccati, ex locis innumeris liquet, ut Lev. 9, 5 — 7. 24, 15. 5, 17. 19, 17. 20, 20. 22, 9. 24, 15. Exod. 28, 43. Num. 9, 13. 18, 22. 32. 14, 33. Thren. 5, 7. Ezech. 4, 4 — 6. 14, 9. etc.; nec est, quod argutentur in verbo αιρων, quod 70 hoc sensu non usurpaverunt, sed verbis φερειν, αναφερειν, et κομιζεσθαι utebantur; non enim in verbo, quod tamen synoymum est, haesitandum, sed integram sententiam Hebraice concipiendam esse, quilibet videt; ut taceam, rem eandem 1 Petr. 2, 24. et aliis locis disserte exprimi. Conf. 1 Joh. 4, 10. 3, 5.

Locus vero de hirco עֲזָאזֵל Lev. 16, 8. 22., in quo prorsus alia est syntaxis et verborum constructio, parallelus nostro non est; frustra igitur ad ipsum provocant. — Ita etiam omnia illa artificia, quibus recentiores quipiam, qui rationalistae dici amant, donum linguarum extraordinarium in ordinarium mutare conati sunt, vana esse apparet, si diversa loca conferuntur *). Nam si donum erat ordinarium, et credentes illas linguas peregrinas olim didicerant: unde erat illa admiratio audientium? Act. 2, 5 — 12. 10, 44 — 45. Admiratio nasci non potuit ex solo affectu, quo laudes Dei eloquebantur, ut taceam, id dici non posse, linguis novis aut peregrinis loqui, aut etiam simpliciter linguis loqui pro ratione diversarum nationum audientium, Act. 2, 3 — 11. Donum naturale, quod studio et diligentia acquiritur, Simon ille Magus non adeo ambiisset, ut pecuniam offerret, si sibi conferretur potestas, aliis hoc donum largiendi, Act. 8, 14 — 25. Repugnat haec mutatio doni extraordinarii in donum ordinarium, etiam illis locis, in quibus Jesus donum linguis peregrinis loquendi, promisit; profecto non est pollicitus, locuturos esse linguis, quas didicerunt, aut discent, Marc. 16, 17. Act. 2, 33. conf. et Act. 1, 4 — 8. Linguae, quas credentes didicerant, non potuerunt quoque 1 Cor. 14, 22. dici σημειον ȣ τοισ πιστευȣσιν αλλα τοις απιστοις; nec facile Act. 19,

*) Conf. Magazin für christl. Dogm. u. Moral. II. 193 — 210.

6. dici potuit, credentes et baptizatos nonnisi impositis manibus Pauli accepisse Spiritum Sanctum, et locutos fuisse linguis. Ita quoque, si omnia loca, in quibus Jesus de sua persona et dignitate loquitur, conferas, miraberis, esse posse, qui divinitatem Ejus impugnant, et loca quoque Apostolorum de hac ipsa agentia pervertere student *).

Quodsi res vel historia altero loco paucis, vel obscurius narratur, altero vero pluribus aut clarioribus verbis, aut cum pluribus adjunctis refertur: per haec ipsa, prioris illius loci obscuritas illustratur. Hinc libri, qui ut plurimum easdem historias exponunt, perpetuo conferendi sunt, ut libri Paralipomenon cum reliquis antiquis libris historicis, et Evangelia inter se, ex quorum collatione quam plurima loca obscuriora lucem capiunt, ut non sit necesse, quod aliunde liquet, exemplis confirmare.

§. 28.

Ratio inveniendi loca parallela.

Ut loca, quae parallela sunt, detegantur, libri attente legendi, et non longo interposito temporis intervallo saepius relegendi sunt, ut recentibus in mente, difficultatibus, quas chartae quoque commendare juverit, facilius loca alia, verbis vel re similia, quae obscuris lumen affundere possunt, observentur. Haec via est publica, qua loca reperiuntur non solum ea, quae verbis et loquendi

*) Conf. Magaz. für chr. Dogm. u. Mor. I. 114 — 176.

formulis sunt similia, sed etiam illa, quae narratione rerum sibi respondent.

Ad cognoscenda vero loca verbis similia, etiam alia brevior patet via, usus inquam librorum, qui nomine Concordantiarum insigniuntur, et omnia loca exhibent, in quibus vox, aut phrasis occurrit, ut uno obtutu circumspici et expendi possint. Ad usum prostant Buxtorfii Concordantiae V. T. Hebraicae 1632 Basileae, et Concordantiae Particularum Hebraicarum a Noldio collectarum, a Tympio cum animadversionibus editae Jenae 1734. Graecae N. F. Concordantiae ab Erasmo Schmidio 1638 Vitembergae editae sunt. Haec opera quidem non nimis saepe sine fructu consuluntur; attamen non sunt, nec esse possunt ita comparata, ut non plura restent loca parallela, quae nonnisi diligenti et repetita lectione librorum adsequi possis, quia significatio a substrata materia et aliis adjunctis pendet, quae in libris Concordantiarum non observantur. Ita quidem ex Concordantiis sensum formulae loquendi נַפְשִׁי בְכַפִּי Ps. 119, 109., adductis locis claris Jud. 12, 3. 1 Sam. 19, 5. 28, 21. percipies, idem valere ac in discrimine vitae versari; ast לָמַד et לִמֵּד Ps. 119, 12. 26. 73. non simpliciter esse discere et docere, sed discere et docere observare mandata et praecepta Dei, non ex Concordantiis, sed ex lectione locorum Ps. 143, 10. et Deut. 20, 18. doceberis, ubi integra phrasis לַמֵּד לַעֲשׂוֹת occurrit. Ita etiam Gen. 31, 29. יֶשׁ לְאֵל יָדִי, non ex Con-

cordantiis, sed ex lectione Deut. 28, 32. Mich. 2, 1. Prov. 3, 27. Neh. 5, 5. percipies, prorsus idem esse, ac illud Aeneid. X. 773.: dextera mihi deus est, et Statii in Theb. II: virtus mihi numen est et ensis, atque potentiam significare. Sic quoque, quid sibi velit Gen. 33, 10.: vidi faciem tuam sicut faciem Dei, nonnisi ex diligenti librorum sacrorum lectione perspicies, ubi observaveris, eos, quibus apparitiones contigerunt, timuisse, sibi mortem imminere. Quod Psaltes Ps. 74, 4. per אוֹתוֹתֵינוּ לֹא רָאִינוּ indicare voluerit festa solemnia, nonnisi ex lectione locorum Exod. 31, 13. Ezech. 20, 12. colligi potest. Anniversarium diem nativitatis, Job. 1, 4. per אִישׁ יוֹמוֹ, quilibet die suo, significari, non ex Concordantiis, sed ex sola diligentiori consideratione Job. 3, 1. וַיְקַלֵּל אֶת יוֹמוֹ, maledixit diei suae, nempe nativitatis, perspicitur. Quod de uxore Loti Gen. 19, 26. legitur: וַתְּהִי נְצִיב מֶלַח, et facta est statua salis, lucem non capit, nisi integro loco 1 Sam. 25, 37 — 38. collato, ubi de Nabal dicitur: וְהוּא הָיָה לְאָבֶן, et ipse factus est lapis; et nihilominus narratur, decima sequente die primum mortuum fuisse. Ita quoque de Israelitis, sinum Arabicum transeuntibus, dicitur Exod. 14, 22. וְהַמַּיִם לָהֶם חוֹמָה, et fuit aqua ipsis murus, seu instar moenium, quod nonnisi ex ipsa lectione 1 Sam. 25, 15. perspicies, ubi servi Nabalis de militibus Davidis dicunt: חוֹמָה הָיוּ עָלֵינוּ, moenia erant nobis. Fre-

quentem phrasim בְּיָד חֲזָקָה, in manu potente, coactionem significare, explicat locus Exod. 12, 3. coll. 6, 1. Sed ne infinitus sim, manum de tabula.

Parallelismum locorum,quae eandem rem referunt, non soli libri, qui easdem historias narrant, sistunt, sed permulta quoque alia sunt vaticiniorum, Psalmorum, et epistolarum N. F. loca, quae de eadem historia, quae in libris historicis tractatur, agunt, et assidua lectione discenda, et demum cognita, conferenda sunt, quo in negotio persaepe verbalis quoque parallelismus se ipse offert, uti quum filii Davidis 2 Sam. 8, 18. salutantur כֹּהֲנִים, qui per legem Mosis sacerdotes esse non poterant, ac 1 Paral. 18, 18. dicuntur fuisse רִאשֹׁנִים primores, quod voce כֹּהֲנִים, proprie propinqui, nempe Deo aut regi, exprimi potuit; ita quoque, si 2 Sam. 24, 2. Deus, at 1 Paral. 21, 1. Satan dicitur incitasse Davidem, ut populum conscribi juberet; si Marc. 7, 29. Jesus ait, daemonem ex filia exgressum esse, ast Matth. 15, 28. puella convaluisse refertur. Conf. et 2 Sam. 6, 2. cum 1 Paral. 13, 6.; 2 Sam. 24, 16. cum 1 Paral. 21, 16. Interdum historia expressionem aliquam alibi obviam, illustrat, uti si Ps. 2, 7. rex compellatur filius Dei, et Ps. 89, 27 — 28. potentissimus rex dicitur primogenitus regum, quod ex 2 Sam. 7, 14. lumen capit; ita etiam nomen יְהוָה ex historia Exod. 3, 14 — 15. 6, 3. explicandum est, etsi

aetate Apostolorum aliter explicari solebat, Apoc. 1, 4. Conf. et Psal. 89, 20 — 38. cum 2 Sam. 7, 4 — 16. et 1 Paralip. 17, 3 — 14.

§. 29.

Cautelae in collatione locorum parallelorum.

Loca, quae reperta sunt parallela, ex omni parte diligenter lustranda sunt, ut perspiciatur, an reapse sint similia, an vox vel loquendi formula revera sit eadem vel similis, eadem syntaxi constructa, et an etiam de eadem, vel simili re usurpetur; dein etiam qui locus sit clarior, in quo quidem raro est difficultas, si modo mens non sit praejudicatis opinionibus occupata, quod ipsum nostra aetate satis frequens est, qua passim videas theologos loca obscuriora ad sententias philosophorum adcommodare, et loca clara ex iis pervertere. Si locus parallelus, qui confertur, non omne dubium tollit, plura alia, si fieri potest, loca similia conquirenda sunt, uti supra §. 27. de voce חֶמְדָּה et aliis pluribus praestitimus. Sic etiam, si Deut. 24, 1. caussa ad repudium sufficiens, dicitur עֶרְוַת דָּבָר nuditas rei: intelligendum esse ingratum aliquid, molestum, exosum, apparet ex Deut. 23, 25., ubi exosa et molesta excrementa hominum in castris, hac expressione compellantur; hoc quidem sufficit ad sensum figendum, dubitanti autem subveniet locus Malach. 2, 16., ubi dicitur: שָׂנֵא שַׁלַּח odio habens (uxorem) dimitte

(eam). Mirari subit, theologos sensum phraseos, qua Deus dicitur esse cum aliquo, Matth. 28, 20., non perspexisse, cujus tamen permulta in V. et N. F. clarissima loca parallela occurrunt. E contrario Gen. 48, 20.: בְּךָ יְבָרֵךְ יִשְׂרָאֵל לֵאמֹר יְשִׂמְךָ אֱלֹהִים כְּאֶפְרַיִם וְכִמְנַשֶּׁה per te benedicet (bona adprecabitur) Israel, dicendo: faciat te Deus sicut Ephraim et Menasse, nequaquam, ut contendunt quipiam, parallelum est phrasibus וְנִבְרְכוּ בְךָ׃, vel וְנִבְרְכוּ בוֹ Gen. 12, 13. 18, 18. 28, 14., nec formulae וְהִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ Gen. 22, 18. 26, 4.; hae enim formae proprie passivae aut reciprocae sunt: benedicentur vel benedictos (felices) se reputabunt, ut manifestum est ex Deut. 29, 18. Jes. 65, 16. Jer. 4, 2. Ps. 72, 17., nec ullus est locus, ubi hae formae vi contextus necessario significarent, alteri benedicere seu bene precari, aut sibi invicem bene precari, ut forma יְבָרֵךְ׃ l. c. Gen. 48, 20 *). Ubi praeter unum nullus alius locus opem fert, dubium, quod forte superest, per diligentiorem collationem contextus tollendum est; ut si quis dicta ab Ezechiele 21. 23. vel 27. עַד בֹּא אֲשֶׁר לוֹ הַמִּשְׁפָּט, donec veniat, cujus est judicium, i. e. regnum, reapse parallela esse Gen. 49, 10. עַד כִּי יָבֹא שֶׁלֹּה (sic enim legendum esse, vix dubium est) donec veniat cujus (vel cui)

---

*) Conf. Jahn Bibl. Arch. II. Th. II. B. §. 163. p. 214 — 217.

est, elliptice nempe שֵׁבֶט, seu sceptrum *), conferenda sunt praecedentia, in quibus regia dignitas, v. 9. consueta orientalibus imagine leonis et leaenae, ac v. 10. sceptro indicatur; qui vertunt, donec ingrediatur suā, nempe suam ditionem, quae ipsi in Palaestina contigit, provocant quidem ad sequentia, in quibus de ea sermo est, sed non observant, sensum esse frigidum et languidum, ac v. 11 cum 10. nullo nexu cohaerere, sed v. 11. manifeste novum inchoare sermonem.

In locis, quae eandem rem, jam pluribus, jam paucioribus, jam clarius, jam obscurius, referunt, solerter dispiciendum est, an res sit reapse prorsus eadem, an vero quibusdam tantum adjunctis similis, quod nequaquam regulis, sed diligenti attentione indiget.

§. 30.

Loca parallela ejusdem libri et diversorum librorum.

Parallela ejusdem authoris et libri loca aliis quidem praestant, eandem tamen vim probandi habent etiam loca aliorum authorum et librorum, dummodo reapse similia sint, et circumspiciatur, ne forte verba et loquendi formulae, authoribus, regione, aut tempore nimis distantibus, per seculorum seriem, aut ob regionum aliorumque adjunc-

G 2

*) Conf. Jahn Biblia Hebr. Gen. 49, 10. T. I. p. 117 — 118. et Einleit. in die Bücher des A. B. I. Th. §. 148. S. 507 — 520.

torum historicorum diversitatem, aliquam vicissitudinem subierint, et alia notione aut alio sensu usurpatae fuerint, uti supra §. 9. I. nonnunquam accidisse, exemplis ostendimus. Alioquin et hujusmodi loca aliorum librorum et authorum, firmum suppeditant argumentum, inprimis si plura, aut omni ex parte clara sunt, ut usum loquendi affatim comprobent. Imo huic parallelismo innituntur omnia illa, quae in Hermeneutica speciali V. et N. F., in Introductione tradenda, de testimoniis directis et indirectis praecipiuntur. Itaque ex Jes. 33, 22. recte deducitur, מְחֹקֵק Gen. 49, 10. et aliis locis esse legislatorem aut gubernatorem. Ita quoque ex collatione Luc. 17, 22 — 30. 21, 20 — 32. planum fit, locum Matth. 24, 4 — 51. integrum agere de eversione Jerosolymorum, uti etiam Matth. 24, 34. clarissime indicatur. Quapropter dubium non est, etiam loca V. F. sensum similium locorum N. F., comprobare eo magis, quo magis res disceptata et confecta est, scriptores N. F. uti notionibus verborum et phrasibus V. F. Ita si Deus in A. F. dicitur cum aliquo vel cum aliquibus esse, quod frequentissimum est, Jos. 1, 5. Ps 91, 15. Gen. 13, 1. 21, 22. 26, 3. 28. Exod. 3, 12. 4, 12. etc., et nihil aliud indicat quam auxilium divinum ordinarium vel extraordinarium: eadem phraseos vis obtinebit quoque in N. F. Matth. 28, 20. Luc. 1, 28. 58. 66. Act. 7, 9. 10, 38. 11, 21. 14, 17. Rom. 16, 20 etc. Sic etiam ex Job. 38, 17. Jes. 38, 10. Ps. 9, 14. שַׁעֲרֵי מָוֶת et שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל,

liquet, quid sibi velint portae inferi, πυλαι ᾁδȣ, Matth. 16, 18. conf. et Jes. 14, 9 — 15. Ezech. 26, 20. 31, 14 — 17. 32, 18 — 33. Job. 3, 13. Verum id nequaquam universim valet; quaepiam enim in N. F. nunquam sensu V. F. recurrunt, uti cum Psaltes saepius Deum orat: שָׁפְטֵנִי judica me, i. e. jus mihi dic de caussa adversariorum, et libera me, Ps. 7, 9. 26, 1. 35, 24. 43, 1. 71, 3. conf. דִּין Jer. 22, 17. Prov. 31, 9. Ps. 54, 3. etc., quod in N. F. nullibi obvium est. Plura quoque e contrario sunt in N. F., quae in V. F. fustra quaeres; atque aliqua alia in N. F. subliniori sensu, quam in V. F. usurpantur, uti Messias seu Christus, filius Dei, vita, mors. Id omne ex collatione plurium locorum, ex contextu orationis, et ex substrata materia discernendum est. — Phrases vero aliarum linguarum, quae prorsus nullam habent cum linguis Biblicis et cum rebus in Bibliis commemoratis connexionem, sensum sacrae Scripturae nequaquam probare, sed duntaxat interdum aliquatenus illustrare possunt, uti si dicitur spiritus Jehovae induisse Gideonem Jud. 7, 34., aut Spiritus induisse Amasam 1 Paral. 12, 18., aut si Deus dicitur induisse decorem et gloriam Ps. 104, 1., aut pascua dicuntur induisse gregem ovium Ps. 65, 14., aut Jobus 29, 4. dicitur induere justitiam, quibus similes sunt Latinorum phrases, induere speciem judicis, Tacitus Annal. XV. 9. animum bonis artibus induere, ib. 44.;

seditionem induere, ib. II. 15.; personam philosophi induere, Cic. Tusc. Qu. V. 26.; somnum, ut imaginem mortis, quotidie induere, ib. I. 38.; induere se in captiones, Cic. de Div. II. 17.; se in idipsum induere, quod quis timebat, Cic. Acad. Qu. IV. 18, quae loquendi formulae, ut quilibet videt, fere, sed non ubique prorsus idem edicunt. Propius accedit phrasis: obnubilavit animam, in Apuleji Metamorph. VIII., cum phrasibus בַּעֲטוֹף לִבִּי, cum obtegeretur cor meum Ps. 41, 3., et בְּהִתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי, cum contegeretur in me spiritus meus Ps. 77, 4. 142, 4. Jon. 2, 8., i. e. contectus esset intellectus meus; utraque enim loquendi formula de deliquio usurpatur. — Aptissime quoque רוּחַ יְהוָֹה ex profanis authoribus illustravit Cl. Dr. Fr. V. Reinhard in Explanat. Jes. 11, 1 — 5. in Commentatt. Theol. a Velthusen, Kuinoel et Ruperti editis T. I. p. 7 — 8., et ei ex sensu totius antiquitatis significationem divinae operationis extraordinariae vindicavit.

§. 31.

Loca V. F. in N. F. adducta.

Quae ex V. F. in N. F. allegantur loca, non sunt proprie parallela, nec in generali, sed in speciali N. F. Hermeneutica, seu in Introductione in N. F. tractanda. Quare hic generatim monuisse suffecerit, sola illa V. F. loca, in N. F. allegata,

censeri proprie explicata, I. ex quibus argumentum positivum et absolutum ad comprobandam omnibus lectoribus vel auditoribus veritatem, ducitur, et II. quorum sensus in contextu orationis A. F. ex legibus interpretationis prorsus idem, etsi fortasse minus sublimis, esse comperitur. Huc itaque non spectant loca, quae duntaxat ad refutandum errorem alicujus vel aliquorum hominum, usurpantur, et argumentum, ut loqui solemus, ad hominem suppeditarunt; aut ubi verba V. F. in N. F. alio prorsus sensu adhibentur, nec formula allegationis, qualiscunque sit, aliud evincit. Ita Ps. 110, 1. a Jesu Matth. 22, 24 — 44. nequaquam, ut multi arbitrantur, tanquam argumentum ad hominem adfertur, sed de Messia proprio sensu laudatur, et summa ejus dignitas innuitur, de quo, qui dubitant, edocentur non solum observationem supra §. 22. insertam, sed etiam per latissimum hujus Psalmi de Christo usum in N. F., conf. Act. 2, 33 — 34. 5, 31. 7, 55 — 56. Rom. 8, 34. Eph. 1, 2. Hebr. 1, 3. 13. 8, 1. 10, 12. 12, 2. 1 Petr. 3, 22. E contrario adcommodationes reperies quamplurimas, uti Matth. 13, 35. coll. Ps. 78, 2.; Matth. 8, 17., coll. Jes. 53, 4., qui locus alias per N. T. saepius et constanter sensu proprio adducitur; porro Matth. 2, 15. coll. Hos. 11, 1.; Matth. 2, 17 — 18. coll. Ier. 31, 15.; Matth. 3, 2. coll. Jes. 40, 3. Adcommodatio autem haec exegetica est, non dogmatica, de qua, ut alibi monuimus, tractan-

dum est in Hermeneutica speciali seu Introductione in LL. N. F.

§. 32.

Analogia doctrinae.

Insignem locum parallelum supplet analogia doctrinae totius Scripturae, seu summa, quam universa Scriptura S. spirat, consilium omnibus sacris scriptoribus commune, atque finis, ad quem omnes collineant, et quem in locis non paucis perspicue exponunt. Haec itaque analogia doctrinae a scriptura ipsa, quatenus fidei articulos et morum regulas clare docet, nequaquam est diversa, sed ex locis clarioribus et consilio authorum sacrorum ducitur, unde loca obscuriora lucem capiunt, et alia durius interdum dicta, aut minus adcurate expressa, aut, ut videtur, divergentia, explicanda sunt. Non est hoc beneficium soli S. Scripturae privum, sed omni interpretationi profanorum etiam librorum commune, ut juxta summam doctrinae atque ad consilium et propositum authoris, seu juxta doctrinam, alibi clare expositam, exigantur loca, quae divergere aut aliud edicere videntur, quia authores quicunque non ubique locorum adcuratissime, sed saepius negligentius atque populari et crassiori quodam modo scribunt, freti illis, quae alibi clarius et diligentius exposuerunt, vel ut aliunde nota sumunt. Ita si Deum poenitere dicitur, quod egit aut minatus est, non modo in statu infimae infantiae generis humani Gen. 6, 7. Exod. 32, 14. Jud. 2, 18., sed recentiori etiam aevo Jer. 26, 13.

19. 2 Sam. 24, 16. 1 Paralip. 21, 15. Ps. 106, 45., ex aliis claris locis explicandum est, ut ex 1 Sam. 15, 29., ubi dicitur וְגַם נֵצַח יִשְׂרָאֵל לֹא יְשַׁקֵּר וְלֹא יִנָּחֵם כִּי לֹא אָדָם חוּא לְהִנָּחֵם, nam veritas (verus Deus) Israelitarum non mentitur, neque eum poenitet (rei cujusdam); nam non est homo, ut poeniteat eum (cujusquam), et nihilominus idem author eodem loco mox v. 35. ait: וַיהוָה נִחָם et Jehovam poenituit. Imo veritas isthaec iisdem verbis jam Num. 23, 19. docetur: לֹא אִישׁ אֵל וִיכַזֵּב וּבֶן אָדָם וְיִתְנֶחָם. Ita etiam si Deo tribui videtur somnus, vel evigilatio e somno, nihil aliud quam auxilium denegatum, vel praestitum indicatur, nam alibi Deus disserte dicitur nunquam domire aut dormitare. Sed et totum V. F. sistit Deum adeo sublimem et eminentem, ut poenitentia, aut somnus in eum cadere non possit, atque ad hanc doctrinae summam exigenda sunt illa loca, in quibus Deo poenitentia aut somnus tribuitur. Eadem ratione intelligendum erit, si Deo tribui videntur mala moralia, aut si Deus sistitur ut numen Israelitarum nationale, cum omnis doctrina V. F. constanter spiret Deum sanctissimum, ab omni malo alienissimum, et Deum universi inde a Gen. 1, 1. per omnem seculorum longam seriem, doceat, uti loca permulta et clarissima in omnibus libris testantur. Ita etiam si occurrunt in Psalmis maledicta in inimicos, ad summam doctrinae de dilectione proximi, toties in Mose et Prophetis

inculcata, revocanda sunt. — Sed summa haec doctrinae clara sit oportet, ut non nitatur locis singularibus, quae a diversis in diversas partes trahuntur; ad doctrinam enim, ex locis hujus generis deductam, provocando, nihil proficies.

Id vero haudquaquam universim ita intelligi velim, ut omnis analogia doctrinae his limitibus concludatur. Quemadmodum enim discipuli primi quorumcunque antiquorum doctorum, ab his ipsis oretenus multo adcuratius edocti, libros quoque ipsorum, et facilius et melius omnibus aliis subsequentibus, intellexerunt, atque si doctrinae magistrorum suorum fideles erant custodes, et rectius et adcuratius exponere poterant: ita quoque immediati et mediati discipuli Apostolorum, et doctores primitivae ecclesiae, sensum locorum S. scripturae, quibus doctrinae sublimiores proponuntur, ex ore Apostolorum et primorum discipulorum penitus hauserunt, et altius penetrarunt. In censum inprimis veniunt antiquissima ecclesiae symbola in Athenagorae et Justini Martyris Apologiis, in Irenaei libris, et in prooëmio librorum Origenis *περι αρχων*, atque generatim historia doctrinae primorum ecclesiae seculorum non obiter cognita, sed diligenter explorata. Qui forte dixerit, hoc nihil esse aliud, quam scripturam ad dogmata ecclesiastica et theologica adcommodare, videtur non intelligere, quod diximus; nam longe absumus, ut ad authoritatem ecclesiae catholicae, de qua, ubi Hermeneuticam tractamus, sermo esse nequit, provocemus,

sed testimonium duntaxat antiquissimorum ecclesiae doctorum de sensu locorum dogmaticorum urgemus; quid enim? si loca profanorum antiquorum scriptorum et Thalmudicorum ad comprobandum sensum N. F. admittuntur, cur non valeant loca scriptorum ecclesiasticorum ejusdem aut antiquioris aetatis, qui doctrinam immediate vel mediante una alterave generatione ab Apostolis acceperunt? Huic principio quid opponi possit, non video; imo reperi Clericum, celeberrimum Bibliorum ecclesiae reformatae interpretem, consentire *);

---

*) Le Clerc Briefe einiger Hollaendischen Gottesgelehrten I. Th. S. 79. schreibt: freylich steht nicht zu läugnen, dafs man in einem sehr allgemeinen Verstande sagen kann, vom Anfange des Christenthums haben sich Begriffe von Grundwahrheiten in der Christlichen Religion erhalten, welche, eigentlich zu reden, auf keinen besonderen Stellen der H. Schrift beruhen, sondern ihren Grund nur in dem Resultate haben, das sich die Christen immer daraus gezogen, wo sie über dieselbe nachgedacht haben. In diesem Verstande wird dieser Lehrbegriff, selbst nach der Meynung der Protestanten, zur Regel, die dunkeln Stellen der Schrift auszulegen, dienen können; das heifst, man darf niemahls eine besondere Stelle dem Genie des Evangeliums zuwider (wenn ich so reden darf) erklären. Man kann hierüber die schöne Stelle des Vincent de Lerins Comm. c. 3. nachlesen: „magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit; sed hoc ita demum fiet, si sequamur Universitatem, Antiquitatem, Consensionem. Sequemur autem Univer-

et alii Protestantes doctrinam primae ecclesiae diligenter investigare minime negligunt *).

In usu hermeneutico analogiae doctrinae duo extrema, utpote vitia aequalia, vitanda sunt: primum quidem, ne locis sacrae scripturae tribuatur sensus illi analogiae doctrinae oppositus; dein ne e contrario verbis sacrae scripturae, ut huic analogiae doctrinae conformentur, vis inferatur, quod esset sacris libris inferre sensum, qui ex ipsis efferendus fuisset.

„sitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse „fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia; Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus secedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est; Consensionemque itidem, „si in ipsa vetustate omnium vel certe omnium sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque „sequamur."

*) Specimen recentissimum praebet H. L. Heubneri Historia antiquior dogmatis de modo salutis tenendae et justificatione 1805 Wittenbergae, ut taceam historias dogmatum a Wundemann, Lange, et Müntscher, a duobus abhinc decenniis editas.

Caput IV.

De tropis recte interpretandis.

§. 33.

Troporum origo.

In primaeva linguarum paupertate, notiones novae et recenter acquisitae nequaquam omnes novis quoque sonis seu verbis designabantur, sed permultae verbis pridem inventis et usu receptis, jam ob aliquam similitudinem, jam ob alium quemdam idearum vel rerum nexum, indicabantur, atque hac ratione quamplurimae verborum a propria significatione ad inpropriam translationes factae sunt, quarum non paucae adhucdum in etymologia vocum et notionum, inprimis in linguis orientalibus conspicuae sunt, sed non raro primaevam significationem propriam vel prorsus aboleverunt, vel saltem multo rariorem reddiderunt. Cum autem hae translationes vocum per observatam rerum similitudinem vel connexionem, quam menti offerebant, simul delectarent: etiam ditata demum pluribus verbis lingua, ad ornatum et varietatem orationis usur-

patae, et auctae sunt, et eo quidem magis a gentibus sub calidiori coelo degentibus, et ferventiori ingenio et vivaciori imaginatione praeditis, inprimis vero a poëtis, quorum ingenium feracius est, et quorum est miscere utile dulci. Verba quidem illa, quae vel ex necessitate, defectu verborum propriorum, ad alias notiones translata fuerunt, vel quorum significatio, per quodvis tropi genus translata, propriam vel prorsus abolevit, vel rariorem reddidit, nequaquam tropis nisi forte grammaticis, de quibus nunc non agimus, accensenda sunt, sed solum ea, quae a rhetoribus, poëtis et historicis ut lumina orationis usurpantur *).

§. 34.

Interpretis partes in dictionibus tropicis.

In hoc genere loquendi partes interpretis sunt, tropos **agnoscere**, et agnitos **recte interpre-**

---

*) Cicero de Oratore 81. : „tenuis orator . . . erit, . . . translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum sed etiam rusticorum, siquidem est eorum, **gemmare vites, sitire agros, laetas esse segetes, luxuriosa frumenta.** Nihil horum parum audacter, sed aut simile est illi, unde transferas; aut, si res nullum suum habeat nomen, docendi caussa sumtum, non ludendi videtur." — Quintilianus L. VIII. C. 6. §. 1. : „necessitate rustici dicunt **gemmam in vitibus**, quid enim dicerent aliud? **sitire segetes**, et **fructus laborare**; ita necessitate nos **durum hominem** aut **asperum**; sed significandi gratia, **incensum ira, inflammatum cupiditate**, et **lapsum errore**; haec quam maxime

tari, quod quidem utrumque ingeniis, quae elegantioribus literis exculta sunt, non videtur posse creare difficultatem, nec praeceptis indigere; ast contrarium docuit experientia, quae frequentiora offert in hoc genere peccata interpretum librorum sacrorum quam profanorum, quorum ratio jam est ignorantia rerum peregrinarum aut antiquarum, jam justo angustior cognitio usus loquendi, jam praejudicatae opiniones, jam etiam rerum, inprimis in N. F. sublimitas vel obscuritas. Sic si Gen. 49, 9. Juda salutatur גּוּר אַרְיֵה catulus leonis, et comparatur leoni et leaenae cubanti, quem nemo audet excitare: vim non plene percipies, nisi noveris, leonem orientalibus tropice venire pro heroë aut rege, et a leaena aut leone saturo cubante neminem laedi, ast quemlibet properare timore trepidantem, ut quantocius evadat *). Ita etiam si Jehova dici-

„propria; ad ornatum, lumen orationis, generis „claritatem, concionum procellas, eloquen„tiae flumina. Cicero ait Clodium fontem glo„riae ejus, et segetem et materiam glo„riae." — Ita e contrario notio eligendi verbi בָּחַר, et notio amandi verbi עָגַב, primaevam propriam significationem admirandi fere abolevit, et nunc propria est; idem observabis in notione fugiendi verbi בָּרַח, et in notione sciendi, cognoscendi verbi יָדַע.

*) Mungo Park Reise in das innere Africa. Hamb. 1799. S. 236. narrat in Nyara et Medibu non procul a semita vidisse leonem cubantem, quem trepidus quidem, illaesus tamen transivit.

tur rugire ex Zion Amos 1, 2., aut ex alto Jer. 25, 30.: sciendum est, rugitum leonis, quem שָׁאַג proprie significat, omnibus animantibus esse terribilem et minabundum; quare et omnia audito eo contremiscunt, ut itaque rugitus Jehovae minas indicet, uti jam vidit Chaldaeus, Amos 1, 2. — Judaei, ut se contra Christianos tueantur, inhaerent non raro proprio sensui, ubi manifeste est tropicus, ut Jes. 11, 6. Recentiores quipiam interpretes 1 Cor. 11, 24. κλωμενον, non ad σωμα, corpus, sed ad panem referentes, ignorant, verba frangendi ab orientalibus etiam ad vulnerationes transferri, uti ex usu verbi شدخ de vulneratione fruticis balsamiferi, liquet, conf. Abdollatif Memorabilia Aegypt. ed. White 1489 Tub. p. 13., vel meam Chrestom. Arab. 1802 p. 117., nec non verba שָׁבַר, Aram. תְּבַר, كسر, ثلّم, شجّ etc. — Nonnunquam tropus nostro sentiendi modo videtur esse abjectus aut sordidus, qui ex antiqua vivendi et sentiendi ratione recipiebat dignitatem, et antiquis illis erat splendidum orationis lumen, ut cum Gen. 49, 14. Issachar dicitur חֲמֹר גָּרֶם asinus ossis seu robustus; aut Ephraim dicitur עֶגְלָה מְלֻמָּדָה אֹהַבְתְּ לָדוּשׁ, juvenca edocta vel adsueta, amans triturationis Hos. 10, 10.; aut Jer. 46, 20. Aegyptus dicitur עֶגְלָה יְפֵה פִיָּה juvenca pulcra ore; Deut. 33, 17. Joseph celebratur primogenitus tauri בְּכוֹר שׁוֹרוֹ: nobis haec sordent; at Hebraeis

illius aetatis, et jumenta haec, et tropi ab ipsis desumti, ejus erant dignitatis, cujus adhucdum sunt Fuae in Africa, ubi, testante Brown Reis. I. Th. S. 309., praeco ante thronum regis proclamat: videte bubalum filium bubali, taurum taurorum, elephantem immanis roboris, potentem Sultanum etc. In A. F. desumuntur tropi etiam a vitiis et a rebus obscoenis; libri autem N. F. nihil simile exhibent, nisi quod Apocalypsis imaginem meretricis ex V. F. retinuerit.

§. 35.

Regula agnoscendi tropos minus idonea.

Antiquiores praeceperunt, significationem propriam tenendam esse, nisi necessitas, vel evidens caussa tropicam persuaserit, et ita Matth. 19, 12. non de castratione propria, sed de spontaneo coelibatu, et Matth. 5, 29 — 30. non de mutilatione propria, sed de abnegatione eorum etiam carissimorum, quae nos pervertunt, explicanda esse. Hactenus quidem recte; attamen regula illa necessitatem et caussam, qualis esse debeat, non definit, et si, ut ex allatis exemplis colligi posse videtur, intelligatur de solo absurdo, quod ex propria significatione sequeretur, quilibet videt, usum troporum tam arctis limitibus non concludi. Qui hanc legem tulerunt, ipsi observare eam non potuerunt; videntur infeliciter distinxisse sensum literalem a tropico, nec animadvertisse, etiam tropicum sensum esse literalem et immediatum, a quo re-

cedendum non esse, recte monuerunt, sed id, quod cogitasse videntur, ambigue expresserunt. Si id voluerunt, addere etiam potuissent, usitatam vocum notionem sine gravi ratione exeget ca relinquendam non esse; ac ratio illa gravis est, si contextus orationis aut alia adjuncta eam respuant. Sic Matth. 17, 27. ratio nulla urget, ut notio consueta inveniendi in verbo ἑυρήσεις, deseratur, et ei notio vendendi substituatur, quod conatus est Paulusius non alia ratione ductus, quam ut scripturam suis principiis philosophicis adcommodaret, vitium certo non minus, quam quod in quibusdam theologis carpitur, qui scripturam ad sua dogmata trahunt repugnantem.

§. 36.

Unde inprimis tropi dignoscendi.

Quemadmodum omnis interpretatio, ita quoque et agnitio et interpretatio troporum ab usu loquendi tropico, qui cuilibet nationi, instituto, aetati etc., proprius est, pendet. Qui usum loquendi cujusvis linguae copiose novit, in agnoscendis et intelligendis tropis vix laborabit. Hic autem tropicus loquendi usus ex assidua lectione scriptorum illius nationis, regionis et disciplinae, hauritur. Hinc in libris profanis, quibus a tenera juventute adsuescimus, et quorum etiam argumentum et objectum non transcendit res humanas, vix unquam haesitamus, propriene dictum sit, an inproprie. Idem quidem in S. scriptura, ubi de rebus naturalibus, humanis, et ordinariis sermo est, obtinet,

dummodo res illius aetatis et regionis cognitae fuerint, et aliqua cum scriptoribus orientalibus familiaritas accesserit, qua deficiente tropica quaedam facile ignorari, et interpretatione propria perverti possunt, quia, uti cuilibet nationi et populo, ita inprimis orientalibus, nonnulli tropi sunt non solum peculiares, sed etiam audaciores, in quorum exemplum, ut praetermittam Jos. 10, 13., adduco, nullum occidentalium pro idolis dicturum d i s c i p l i n a m, מוּסָר, et s t a t u t a, חֻקּוֹת, quae jubent coli illa idola, et ita loquitur Jeremias 10, 3. 8. Major est difficultas in illis, quae S. Scriptura, in N. praesertim F., refert rationi humanae impervia, de quibus, an proprie vel inproprie dicta sint, non raro acriter disputatur; aliqua etiam in quibusdam vaticiniis est difficultas discernendi, an dictiones proprio, an vero inproprio sensu intelligendae sint; haec tamen, qualiscunque est obscuritas, non raro collatione complementi historici illustratur, sunt tamen loca, ubi dubium manet, ut Jes. 2, 13 — 14., et 3, 16. seqq., ubi celebres interpretes per luxum matronarum intelligunt luxum et arrogantiam urbium, alii vero proprie interpretantur.

§. 37.

R e g u l a e, q u i b u s t r o p i e x p l o r a n t u r.

Ut haud dubie discernatur, propriane an inpropria sit dictio: juverit sequentia observasse:

I. Sicuti omnis sermonis, ita etiam tropici, suprema lex, ut mox monuimus, est usus et consuetudo loquendi; quare, quinam tropi linguis Bibli-

cis et sacris scriptoribus, praesertim in veritatibus revelatis, usitati fuerint, ex usu loquendi tropico illarum linguarum et horum scriptorum, petendum est, quod ipsum ex reliquis principiis hermeneuticis, puta ex contextu orationis, adjunctis, et locis parallelis eruendum est. Neque tamen ea testimonia directa et indirecta, quae in Hermeneutica speciali seu Introductione in N. et V. F., tradenda sunt, excludimus, sed etiam quod attinet ad usum loquendi tropicum, maximo opere commendamus; ita ex eo, quod Arabes principalia religionis dogmata dicant r a d i c e s   r e l i g i o n i s اصول الدين explicari potest, quid sint f u n d a m e n t a הַשָּׁתוֹת, Ps. 11, 3. et מוֹסְדֵי אָרֶץ, Ps. 82, 5.

II. Si praedicatum et subjectum est ejusmodi, ut alterum alteri proprie convenire non possit, alterutrum tropicum sit oportet, dummodo utrumque bene cognitum, et repugnantia manifesta sit, uti cum David orat Deum Ps. 69, 25., ut rebelles Absalomi asseclas puniat, et ait תְּנָה עָוֹן עַל עֲוֹנָם, manifestum est etiam ex ideis, quas David de Deo alias prodit, eum non velle, ut Deus inducat hostes ejus in plura peccate, sed ut poenas perversitatis eorum augeat, ut praecedentia quoque et consequentia indicant; adeoque עָוֹן, p e r v e r s i t a s, pro p o e n a   p e r v e r s i t a t i s venit. Ita quoque quod Jesaias 1, 5 — 6. dicit, in toto corpore jam undique vulnerato et aegroto, non esse locum sanum, qui laedi porro possit, Hebraeis proprie convenire non potest, sed intelligendum est inproprie de tot poenis reipublicae,

quae ut persona sistitur, inflictis, ut jam vix supersit, quo affligi amplius possit, ut propheta in sequentibus exponit Conf. Deut. 29, 21. Ps. 77, 11. 102, 4 — 5. Jer. 10, 19. 14, 17. 17, 14. 30, 12. Thren. 3, 18. Zach 14, 12 — 19. etc. Sic etiam 2 Cor. 2, 15. χριστȣ ευωδια εσμεν, qui tropus superest in Arab. عِرْضٌ, externa species, odor bonus vel malus, existimatio, fama; adeoque Christi existimationem propagamus. — Cavendum autem est, ne illa, quae de Jesu, ut homine et Deo, praedicantur contraria, ad hanc regulam explorentur; nam sicut de homine, quoad corpus et animum, recte et proprie contraria edicuntur, ut ex. gr. mortalis et immortalis: ita etiam de Christo θεανθρωπῳ, propter duas in unitate personae naturas, contraria, nempe divina et humana, vere et proprie dicuntur, ut cum dicitur de coelo esse, ex coelo descendisse, in principio apud Deum fuisse, gloriam apud Deum habuisse, antequam mundus factus fuisset; et e contrario rursus, ex virgine natus fuisse, profecisse gratia coram Deo et hominibus, esuriisse, contristatus fuisse, etc.

III. In legibus, simplicibus rerum gestarum narrationibus, atque in adcuratiore doctrinae expositione non solent usurpari tropi insoliti et audaciores, sed solum tales, qui communi usu satis triti sunt; quare, quod mox supra II., et §. 33. de tropis orientalium nonnunquam audacioribus dictum est, trahendum non est ad verba

institutionis Eucharistiae, Matth. 26, 26. 28. Marc. 14, 22. 24. Luc. 22, 19 — 20. 1 Cor. 11, 24 — 25., in quibus praedicatum quidem proprie subjecto non convenire videtur, sed tropus in hac simplici expositione insolens et audacior esset, qualis hac occassione eo minus expectandus est, quo magis Judaei ex Exod. 24, 8. assueti erant, sanguinem foederis proprie intelligere, uti etiam Hebr. 9, 20. cernitur, conf. Archaeol. (Lat.) Bibl. III. P. §. 383. Ast tropus tritior in his verbis locum omnino habet in voce ποτηριον, calix, qui Luc. 22, 20 venit pro contento vino, et 1 Cor. 11, 25. pro confirmatione foederis seu promissionis. Ita etiam expressiones, quibus Christi summa et divina dignitas docetur, tropica interpretatione pervertendae non sunt; non conveniunt quidem proprie humanae naturae, sed personae, in qua divina natura humanae juncta est. Conf. Storr über den Geist des Christenthums im Magazin für Christl. Dogm. u. Mor. I. S. 114. ff.

IV. Persaepe quidpiam praecedit vel sequitur, vel quidpiam adjectum est, quod innuit, tropice vel proprie dictum esse. Sic חַטָּא peccatum, et עָוֹן inquitatem metonymice esse poenam, 1 Sam. 28, 10, ex coll. v. 8., et Lev. 26, 41. 43. ex contextu et substrata materia liquet; ac portare iniquitatem vel peccatum suum, idem esse, ac pati poenam, adjectum persaepe exscindetur ex populo, vel morietur, ostendit, uti Levit. 19, 5 — 7. Exod. 28, 43. Num. 18,

22. 32. 14, 33. etc. Ita etiam אָשַׁם delinquere, Ps. 34, 22 — 23. 5, 11. Jes. 24, 6. Hos. 5, 15. Joel 1, 18. esse poenam delicti subire calamitatibus tanquam poenis premi, contextus orationis liquido ostendit. Sic etiam poenae peccatorum passim dicuntur morbi, qui ut poenae peccatorum spectabantur, uti Jes. 53, 4., ubi tropus mox v. 5. explicatur, conf. et v. 12. ac Ezech. 33, 10. Ps. 38, 5 — 6. Sirach. 18, 19 — 21. Joh. 9, 43 Ita etiam Gen. 31, 42. 53. פַּחַד יִצְחָק et פַּחַד אָבִיו timorem Isaaci, et timorem patris ejus, pro objecto timoris et reverentiae, nempe pro Deo venire, ostendit quod praecedit אֱלֹהֵי אַבְרָהָם, et confirmatur dialecto Syriaca, in qua דחלתא, timor, persaepe pro numine usurpatur. Ita quoque 1 Cor. 3, 13. ὡς διὰ πυρος, esse tropicum, innuunt, quae praecedunt mere tropica. E contrario quando Jesus dicitur filius Dei cum adjecto ιδιος, proprius, vel μονογενης, unigenitus, aut αγαπητος, dilectus, Joh. 1, 14. 3, 16. Matth. 3, 17. 17, 5. 2 Petr. 1, 17., proprie dicitur, quia alia magis propria de Deo loquendi formula deest, et quae ex necessitate translata sunt, non dicuntur tropica. Ita etiam angelus ille, seu legatus Dei invisibilis, nonnunquam apparens patriarchis, Gen. 22, 11. 15. coll. 15, 18. proprie Jehova. et Exod. 3, 2. 4. 13. 15. 16. proprie Deus Abraham, Jsaac et Jacob, dicitur, quia Gen. 16, 10 — 14. tribuitur ei opus providentiae divinae, nempe multiplicatio posterorum

Ismaelis, et Gen. 22, 11. 15—18. multiplicatio, atque Exod. 3, 2. 7. 10. 14, 19. etiam ipsa eductio Hebraeorum ex Aegypto, quae alias perpetuo ut opus Jehovae laudatur, Conf. et Zach. 2, 12. 15. 4, 9. 10. *). — Non desunt tamen loca, quae sunt ambigua, uti Joh. 6, 29. 35. 40. 47. 64. videtur innui, Jesum loqui de fide in ipsum, et hanc fidem esse cibum, qui vivificat; quia autem Jesus illos, qui haec proprie intelligentes, offensi erant, non clarius edocet, nisi quod v. 63. dicat, Spiritum esse qui vivificat, carnem vero nequidquam prodesse; et quia disserte dicit, corpus suum, quod daturus est pro mundi vita, esse cibum v. 51., imo etiam distinguit v. 54. corpus et sanguinem, et illud manducandum, et hunc bibendum esse dicit: adhucdum non pauci Christum proprie intelligunt, et lis decidi vix potest. Fortasse tropice locutus est, ita tamen, ut ad Eucharistiam, quam instituturus erat, alluderet. Longe autem aberrant recentiores rationalistae, qui Joh. 5, 28 — 29. tropice de moraliter mortuis, et ad novam meliorem vitam resurgentibus, i. e.

---

*) Qui dicunt, hunc angelum seu legatum, מַלְאָךְ, ἄγγελον, loqui nomine Dei, ut notarius scribit nomine regis dictantis, non animadvertunt, in his locis minime esse sermonem de notario, dicta Dei calamo excipiente, sed de legato, מַלְאָךְ, qui non potest jure sibi attribuere opera soli deleganti propria. Profecto Moses, legatus Dei, nunquam tantum sibi sumit, ut dicat, ego multiplicabo vel multiplicavi vos sicut stellas coeli et sicut arenam maris.

de peccatoribus resipiscentibus, interpretantur; non enim advertunt, de peccatoribus, ut moraliter mortuis, dici non posse: *οἱ εν τοις μνημειοις...... εκπορευσονται*, uti etiam violentum est, *οἱ τα αγαθα ποιησαντες*, de resurgentibus ad novam moralem vitam intelligere; et *οἱ τα φαυλα πραξαντες* nequidem cogitari possunt tanquam resurgentes ad peccata, utpote qui non resurgunt ad peccata, non incipiunt sed continuant peccare.

V. Loca quoque parallela non raro opem ferunt, in quibus res eadem verbis vel constanter iisdem, vel diversis exprimitur, vel amplius describitur, unde colligi persaepe potest, sensum subesse proprium vel tropicum. Ita locum mox allegatum Joh. 5, 28 — 29. intelligendum esse de physice mortuis resurrecturis, confirmatur ex Joh. 5, 21. 25. 6, 39 — 40. 44. — Angelum armatum, homines percutientem, Exod. 11, 1 — 10. 12, 29 — 37. 2 Reg. 9, 1 — 7. 35. 2 Paralip. 32, 21. Jes. 37, 36. 38, 21 — 22., esse pestem, liquet ex 2 Sam. 24, 13 — 17. 1 Paral. 21, 12 — 18. Supra adductam vocem עָוֹן, Ezech. 21, 30. 34. metonymice significare poenam perversitatis, apparet ex Ezech. 35, 5., ubi expressio עֵת עָוֹן קֵץ, permutatur cum עֵת אֵידָם; illud itaque vertendum tempus poenae extremae, ut respondeat tempori calamitatis eorum (אֵיד ut مَاوُل infortunia, mala). Jer. 22, 20 — 23. Libanum

et Baschan tropice venire pro regia, liquet ex Jer. 22, 6., ubi Gileaditis tropice usurpatur pro regia regis Judae. Plura N. F. loca tropica lucem capiunt ex A. F., ut 2 Cor. 5, 21.: μη γνοντα ἁμαρτιαν, ὑπερ ἡμων ἁμαρτιαν εποιησεν, eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, i. e. sacrificium pro peccato, uti חַטָּאת in A. F. persaepe occurrit. Ita etiam portas inferi Matth. 16, 18. tropice dici, et designare aulam subterraneam mortis, ut regis omnium heroum inde a primordiis mundi mortuorum, ibidemque congregatorum, apparet ex Jes. 14, 9 — 15. Ezech. 31, 16 — 18. 32, 21 — 32. coll. Job. 38, 16. Ps. 107, 18. 9, 24. — Cavendum tamen est, ne voces, quae jam proprie, jam inproprie, jam diversa quoque inpropria significatione usurpantur, putentur, quovis loco idem significare, cum e contrario significatio pro diversitate contextus et substratae materiae variet. Sic חָפַר est proprie fodere, et de effossione puteorum usurpatur, sed Deut. 1, 22. Jos. 2, 2. tropice de exploratoribus occurrit, ut ex Jos. 1, 2. coll. 6, 25. liquet. Ita etiam Spiritus Sanctus, jam proprie, jam inproprie de operatione divina seu miraculis, et de donis extraordinariis usurpatur. Lux, אוֹר, jam proprie adhibetur, jam tropice, et quidem passim pro laetitia, aut pro felici rerum statu, sed alias etiam pro lumine mentis seu clara cognitione, ut Ps. 119, 141.

§. 38.
Interpretatio troporum.

Qui in etymologiis notionum observantur tropi, non parum frequentes, explicandi quidem sunt, sed hoc loco in censum non veniunt; id modo monendum est, ex etymologiis nonnullis apparere, quales translationes usuvenerint, uti in صلا *assavit, immisit in ignem*; in II. *flexibilem reddidit, precatus fuit Deum*, quasi flexibilem reddere contendit; unde liquet tropus de prunis per collata beneficia congerendis in caput inimici, Prov. 25, 21 — 22. et Rom. 12, 20. Dein cavendum est, ne ex translatione etymologica singularis aliqua vis vocum exsculpatur; nam neque tropi rhetorici, de quibus nobis sermo est, ullam singularem vim habent, sed ornatum duntaxat addunt orationi, et quasi lumina ipsius spectantur; significatio autem in tropis non est amplior aut intensior quam in dictione propria, et petenda est ex fundamento translationis, quod est vel rerum similitudo quaepiam, quam orientales nonnunquam a longe petunt, vel alius rerum notionumvé nexus, uti cum ponitur antecedens pro consequente, caussa pro effectu, continens pro contento, abstractum pro concreto vel objecto, genus pro specie, et sic porro, ac vicissim. Hoc nexu, vel illa similitudine clare cognita, interpretatio tropi vix ulla difficultate laborat. Id modo observandum, dictionem tropicam et interpretationem ejus non semper ad

vivum resecandam esse; nationes enim diversae pro sua sentiendi ratione, nonnunquam fundamentum translationis agnoverunt, quod nobis a veritate alienum esse videtur, uti si David Ps. 18, 9. 13. et 1 Sam. 22, 9. 13. fulmina dicit ignem ex ore Jehovae et carbones ignitos seu candentes; aut si Jesaias 11, 4. dicit, Messiam terram caesurum baculo oris sui, conf. et Jes. 18, 28. Jer. 18, 18.; aut si gladio tribuitur os Jer. 21, 7. Job. 1, 15 — 17. Id non est solis orientalibus proprium, sed etiam in Graecis Latinisque scriptoribus translationes hujus generis minus, quam nobis videtur, adcuratae observantur, quod eo minus mirandum est, quia etiam in sermone proprio experientia ex sermone orientalium didici, qui, etiam germanice loquentes, e. gr. triticeum panem, quem nos dicimus fuscum (braun), rubrum (roth) compellabant, qui autem revera nec fuscus nec ruber, sed potius flavus est; notandum id venit pro colore vaccae, quae a Mose rubra appellatur.

§. 39.

Interpretatio troporum clara sit.

Ut recta et plena fiat troporum explicatio, fundamentum translationis, de quo mox locuti sumus, clare cognitum esse debet, ex quo distincta formabitur notio rei tropo significatae. Ad id plerumque, si modo res sint apprime cognitae, non requiritur nisi aliqua attentio; si difficultas occurrit, in cognitionem rerum, a quibus tropi desumti sunt, altius penetrandum est. Si aliqua obscuritas super-

est, proderit, imaginem rei, verbo tropico menti repraesentatam, removere, et notionem, quae demum remanet ab illa imagine diversa, verbo proprio exprimere. Si Jeremias 22, 6. et 20. regiam dicit Gilead et cacumen Libani et Baschan, spectatur altitudo et eminentia horum montium, adeoque amplitudo et altitudo regiae, non vero, ut opinatus est Joh. D. Michaelis, ligna cedrina et quercina Libani et Baschan, quibus parietes cubiculorum operti et exornati erant, nam haec ad Jer. 22, 6. non faciunt. Sic etiam, si poena perversitatis, ut supra vidimus, dicitur perversitas, ratio est in nexu antecedentis cum consequente, et sic in reliquis exemplis supra allatis. Si Jes. 11, 3. de Messia dicitur הֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה spectatur delectatio in timore Dei, seu in religione, ut ex Exod. 30, 33. Lev. 26, 3. Amos 5, 21. patet. Ita quoque, si Deus, vel rex, dicitur pastor, fundamentum translationis est cura et regimen gregis et populi; quare recte substituitur expressio propria, curator et rector; ast Judaei recentiores seu Pharisaei transtulerunt hunc tropum ad doctores populi, qui doctrina curabant et regebant populum, qua notione occurrit in N. F. Eph. 4, 11. Act. 20, 28. 1 Petr. 5, 2. — Si Paulus Rom. 12, 1. praecipit, ut corpus nostrum sistamus victimam vivam, placentem Deo: tertium comparationis est, ut corpus ita ad leges morales, ut victima ad leges ceremoniales, regatur. — Non raro vox propria, quae substituenda esset, contextui ora-

tionis inserta reperitur, vel per antithesim innuitur, quod utrumque in parallelismo poëtico frequens est. Ita *οἱ υἱοι του φωτος* ex oppositis *τοις υἱοις του αιωνος τουτου*, facile intelliguntur esse religioni magis studentes, aut studere se fingentes, ut Pharisaei, Luc. 16, 8. coll. v. 14 — 15. Sic porro Ps. 18, 2. David canit "חִזְקִי", Jehova fortitudo mea, i. e. qui mihi robur largitur; "סַלְעִי" "וּמְצוּדָתִי", quod mox termino proprio explicatur "וּמְפַלְטִי" ereptor vel liberator meus, qui me eripit, et ut rupes aut castellum in cacumine montis me salvum praestat; porro "אֵלִי צוּרִי" Deus meus, petra mea, eadem imago, quae mox exponitur per אֶחֱסֶה בּוֹ, nempe Deus est mihi instar petrae in montibus, ad quam confugio, ut salvus sim, adeoque Deus refugium, seu salvator meus. Conf. et Psal. 144, 2. — Interdum praecedit vel sequitur aliquid, ex quo verbum proprium substituendum facile colligitur, uti quod Deus Ps. 2, 7. dicit: בְּנִי אַתָּה אֲנִי הַיּוֹם יְלִדְתִּיךָ, filius meus es, ego hodie te genui, idem est ac illud, quod praecedit: "אֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי עַל צִיּוֹן הַר קָדְשִׁי", nempe indicat regem hodie a Deo unctum, seu Dei dispositione inauguratum; nam inauguratio ut generatio novi hominis spectatur, quod subsequentia confirmant, in quibus hic filius Dei, ut rex, jubetur petere gentes in ditionem suam. Ita quoque Ps. 89, 28. primogenitus Dei, sequenti membro dicitur celsissi-

simus regum terrae. Interdum in alio loco explicatur tropus, ut sedere ad dexteram Dei, esse regnare, participem esse gubernationis divinae, docetur Eph. 1, 20 — 23. 1 Cor. 15, 25 — 28., quae participatio gubernationis divinae evidenter confirmata fuit effusione Spiritus Sancti et miraculis, quae Apostoli in nomine Jesu patrabant.

Si remota imagine tropica, nullam vel obscuram notionem in mente reliquam habes, vel verbum proprium non habes, quod tropico substituas: tropum non percepisti, vel non plene intellexisti. Quodsi autem reliquam habes notionem, eamque verbo proprio exprimere potes: tropum quidem aliquo modo intellexisti; an autem recte perceperis, ex fundamento translationis, usu loquendi tropico comprobato, pendet, quod in metaphora, si eam in similitudinem converteris, mox apparebit; sic, ubi Deus rugire dicitur, converte in similitudinem: sicut leo rugiens minatur exitium animalibus, quae et omnia audito rugitu prae timore contremiscunt: ita Deus minatur per Prophetam mala grandia aut exitium. Sic quoque facile resolves Gen. 49, 9., et sensus erit: ut catulus leonis de praeda, sic Juda de spoliis hostium crescet; sicut leo adultus et satur cubat omnibus terribilis, quem nullus irritare audet: ita Juda demum victoriis et spoliis hostium gloriosus quiescet omnibus formidabilis, ut nulla gens eum offendere audeat.

§. 40.
Allegoriae, imagines, parabolae et fabulae.

In allegoriis, imaginibus, parabolis et fabulis, quae omnes sunt species troporum integrae orationis, inprimis caput praecipuum et summa rei, quae significatur, investiganda, et ex antecedentibus vel consequentibus, ex materia sermoni substrata, ex scopo, vel ex similitudine ipsa eruenda est; non raro autem in antecedentibus vel consequentibus disserte indicatur, et nonnunquam etiam ipsa interpretatio et explicatio verbis propriis adjuncta est, ut Jes. 11, 1 — 8. et 9., in cujus defectu, inventa summa rei, per allegoriam, imaginem, parabolam et fabulam significatae, propriis verbis exponenda est; ex reliquis vero tropici hujus generis sermonis adjunctis solum illa, quae ad caput rei significatae manifestam habent relationem, adposite explicanda sunt, reliquorum autem adjunctorum, quorum nexus cum re significata non est apertus, aut quorum nulla ad summam rei relatio adparet, significatio est nulla, ideoque minime quaerenda, ne explicatio ultra limites et scopum extendatur. Permulta enim hujusmodi tropicis sermonibus admixta sunt, non ad rem significatam, sed ad perfectionem imaginis spectantia, fere ut in tabulis seu picturis symbolicis, in quibus ipsa duntaxat integra figura est symbolum rei, et significat id, quod pictor indicare voluit, nequaquam autem omnia singularia, quae ad integritatem et perfectionem figurae necessaria erant; e. gr. si in tabula coloribus sistitur

matrona, ut symbolum justitiae vel fortitudinis, integra figura cum principalibus adjunctis significat justitiam vel fortitudinem; ast capilli, digiti, ungues etc., prorsus nihil significant, sed ad perfectionem figurae humanae necessaria erant; qui nihilominus in his significationem quaesiverit, ridebitur ab ipso pictore. Ex his dijudicandi sunt illi antiqui interpretes, qui in descriptione tempestatis, ab aquilone ingruentis, Ezech. 1, 4. seqq., quam propheta ipse C. 5. verbis propriis de vastatione Jerosolymorum et Judaeae per Chaldaeos exponit, omnia adjuncta, ad integritatem descriptionis pertinentia, operose explicabant, et in quatuor Cherubim et quatuor eorundem faciebus, quatuor Evangelistas, et in aliis alia, nescio quae, inveniebant.

Elegantis prae ceteris allegoriae exemplum occurrit Ps. 80, 9 — 18., ubi populus sistitur sub imagine vitis ex Aegypto transplantatae et laete florentis etc., et demum adjunguntur aliqua proprie dicta, quod Hebraeis non est insuetum, uti etiam nonnunquam a natura rerum deflectunt, ut Ezech. 17, 7. Aliquantum intricata est allegoria sylvae incensae Ezech. 20, 45 — 49., quae autem mox c. 21, 1 — 4 de incendio et eversione Jerosolymorum explicatur. — In allegoria 1 Cor. 5, 6 — 7. ex scopo elucescit, fermentum significare vitia, et azymos indicare puros a vitiis, ac ἑορτάζειν esse Deum colere. — Ut intelligatur allegoria Jes. 26, 18: *concepimus, et peperimus ventum*, requiritur notitia aliqua morbi muliebris, qui dici-

tur empneumatosis, unde sensus prodit: adversa passi speravimus faustum exitum, et frustrati sumus. Obscurior et fere aenigmatica est allegorica descriptio senectutis Eccl. 12., quae permultos exercuit interpretes. Conf. Lowth de Poësi Hebr. T. I. Lect. X. p. 205 seqq.

Imagines in Bibliis quam plurimae, et fere ubique obviae sunt, praesertim in libris poëticis et in Prophetis, ut Ezech. 16, 1 — 45. — 63., ubi respublica Hebraeorum repraesentatur ut puella, mox post nativitatem exposita, a Deo autem suscepta, deliciose educata, spendide ornata, et demum in matrimonium suscepta, quae autem evasit adultera et prostituta meretrix, ut sororem suam Sodoma (rempublicam Moabitorum et Ammonitarum) ac Samariam (10 tribus) impudicitia longe superaverit, quod totum adumbrat primum beneficia genti inde ab origine sua, praesertim in Arabia Petraea et deinceps praestita, ac demum idololatriam ejus semper pejorem et denique omnes limites excedentem. Alias imagines lege Ezech. 19, 1 — 9. 10 — 14., et 15, 1 — 5., ubi v. 6 — 8. subsequitur explicatio, etc. In his nulla est difficultas, id tamen monendum est, imagines ab orientalibus nonnunquam vivacioribus coloribus expingi et ferme onerari, uti praesertim ab Ezechiele c. 1.; id vero fit eo solo consilio, et res magis illustretur et exaggeretur, non vero ut aliquid amplius significetur; uti e. gr. imago aetatis aureae Jes. 12, 6 — 7, et 65, 25. Nonnunquam etiam imagines sunt grandiores

et insolentiores, ut Zach. 14, 3 — 5. 7 — 8. 9, 13. Jes. 30, 26. 60, 19 — 20. 24, 23. 34, 4. 13, 10. Amos 8, 9. Joel 2, 10. 3, 15 — 16. Ezech. 32, 7. 8. Matth. 24, 29. In hujusmodi imaginibus rerum futurarum, nonnunquam dubium esse potest, quid Propheta proprie cogitaverit, et quid reapse futurum esset, et qua ratione res significata ad effectum adducenda foret; quodsi autem consideremus imagines, quarum significatio ex historia certe cognita est, facile etiam in illis dubia dissipari possunt. Uti si perpendantur imagines Zach. 1, 7 — 7, 15., quarum significatio in contextu orationis exponitur, et historia illustratur: facilis erit conclusio ad significationem imaginum, quae Zach. 9 — 14. occurrunt. Unicum exemplum proferam: David Ps. 18, 8 — 20. et 2 Sam. 22, 8 — 20. saevissimam sistit tempestatem, et se undis procellarum immersum, ex quibus ipsum Deus manu, ex nubibus protensa eripuit, quae omnia non amplius significant, quam auxilium divinum in variis fortunae jactationibus et praesentissimis vitae periculis. Conf. et Ps. 144, 5 — 7. Quaerere hoc loco liceat, an non colores vivaciores in vaticiniis de Messia huc spectent, ut bella et victoriae ejus non sint nisi merae imagines impedimentorum, quae regno ejus objicientur et superabuntur ac tollentur, uti in Apocalypsi innuitur; et hac ratione Ps. 110, de quo supra quaepiam dicta sunt, Jesu adprime convenit, ac in hac sententia confirmat me ratio, qua Cl. Eichhorn interpretatus est

imagines Apocalypseos. Ceterum conf. Lowth de Poës. Hebr. Lect. VI — IX. p. 95 — 205.

Parabolae, seu narrationes rerum, quae quidem potuissent contingere, nunquam autem contigerunt, sed fictae sunt ad aliquid aliud significandum, orientalibus, et inprimus Judaeis adamatae fuerunt, ut non solum testatur Hieronymus in Matth. 18., sed etiam exemplis comprobat V. et N. Foedus, et ipse quoque Thalmud, in quo plurimae occurrunt parabolae, et inter eas quaepiam, quae affines sunt parabolis Jesu, ut de decem virginibus, de divite, et de vinea, ac Jesus etiam Matth. 13, 52. ultro profitetur, se non modo nova, sed et vetera proponere. Pleraeque parabolae quidem ad ornatum orationis, et inprimis, ad illustrandam doctrinam, atque ad excitandam attentionem et reflexionem usurpantur, ut Jes. 5, 1 — 7. parabola de plantata vinea, quae mox explicatur, et a Jesu Matth. 21, 23 — 44. aliquibus mutatis et aliis adjectis ad rem adcommodatur, et explicatio quoque additur; sic porro parabola de Samaritano, vulneratum a latronibus Judaeum curante, Luc. 10, 25 — 37.; de Pharisaeo et publicano orante in templo, Luc. 18, 9 — 14.; de debitore, Matth. 18, 21 — 35.; hae, inquam, parabolae doctrinam tanto lumine collustrant, ut profecto clarius proponi quibuscunque aliis verbis non potuisset. Quaedam tamen parabolae ita comparatae sunt, ut veritatem, quae nuda nimis offendisset, aliquatenus contegant, uti parabola Natha-

nis 2 Sam. 12, 1 — 9., et viduae 2 Sam. 14, 1 — 13.; atque Jesus quoque ipse ait Matth. 13, 10 — 16., se hoc fine loqui ad populum parabolis. Hujus generis est parabola Luc. 14, 16 — 24. de invitatis convivis venire recusantibus, et Matth. 20, 1 — 16. de operariis in vinea. In his res significata pro diversitate consilii vel docendi, vel attentionem excitandi, jam exponitur, ut 2 Sam. 12; jam reticetur, ut Luc. 14, 16 — 24. Matth. 20, 1 — 16.; quod utrumque etiam in aliis parabolis observatur, prout res significata abstrusior est, vel facile intelligitur. Ita Jesus discipulis suis explicat parabolam de seminante, ac de semine bono et zizaniis segetis Matth. 13, 4 — 9 — 19. et 24 — 30. 36 — 43. conf. et Matth. 18, 21 — 35.; explicatio autem desideratur Matth. 13, 31 — 33. 20, 1 — 16. In quibusdam utriusque generis parabolis interpretes laborant. Ita nonnulli reprobant quorundam antiquorum interpretationem parabolae de operariis, in vineam diversis diei horis conductis, quia illa explicatio de diversis ante Christum aetatibus, et de Judaeis et ethnicis aetate Christi, sermoni praecedenti non respondet. Major est difficultas in parabola de infideli oeconomo, de qua nostro aevo permulti varia scripserunt. Jesus quidem ipse eam ita explicat, ut significet, divites prudenter agere, si divitiarum partem in pauperes conferunt, et eos sibi amicos conciliant, ut recipiantur in beatitudinem aeternam, quod et Paulus divitibus aliis verbis 1 Cor. 6, 17 — 19.

praecipit; sed desideratur aptitudo significationis; nam etsi μαμων της αδικιας vel αδικος, ut v. 11. ex oppositione αληθινος apparet, non sint divitiae injustae, sed falsae et fallaces, nihilominus disparitas magna est in eo, quod oeconomus infidelis de bonis domini sui amicos sibi praeparaverit, divites autem ex bonis propriis beneficia pauperibus praestare, aliena autem restituere suis dominis teneantur, quod, Judaeis ex lege Mosis, ut ex Luc. 19, 8. patet, notissimum, a Jesu tacite ponitur. Similitudo solum in eo est: sicut dominus oeconomo credidit bona, ex quibus ipse sibi providus amicos praeparavit: ita Deus divitibus bona administranda concessit, quibus sibi pauperes per beneficia divincire, et locum in aeterna beatitudine sibi procurare debent. Reliqua, ad scopum nihil facientia, significatione carent, et explicanda non sunt *).

Fabulae, seu narrationes rerum, quae nec contigerunt, nec contingere potuerunt, sed fictae sunt, ut aliquid aliud significetur, rariores sunt in Bibliis, legitur tamen elegans fabula Jothami Jud. 9, 6 — 21., quae nulla difficultate laborat. Brevior est illa 2 Paral. 25, 18. et 2 Reg. 14, 9. Aliae fabulae, quae paucis attinguntur, aut ut notae sumuntur, sunt poëticae, ut de orco, de sole e thalamo egrediente, de alis venti et aurorae, et

*) Vide Storr Commentat. hermeneutica de Parabolis Tubing. 1788.

quae alia sunt similia in Archaeologia enumerata, quibuscum conferri potest Joh. D. Michaelis epimetron de imaginibus ex fabula poetica, insertum Lowthi praelectionibus de poësi Hebr. Goett. 1779. T. I. p. 186 — 205.

Caput V.

De emphasibus.

§. 41.

Quid sit emphasis?

Emphasis a Quintiliano definitur virtus orationis, altiorem praebens intellectum, quam quem verba per se ipsa declarant. Est itaque emphasis augmentum, quod ordinariae verborum significationi accedit, uti in vulgaribus illis: virum esse oportet; homo est ille (vel homines sumus); vivendum est, quibus exemplis Quintilianus subjicit: „adeo similis est arti plerumque natura." Altius spirat, quod Cato dixit, Caesarem ad evertendam rempublicam sobrium accessisse. Ita etiam cum David 1 Sam. 26, 15. Abnerum allocutus est: הֲלֹא אִישׁ אַתָּה nonne vir es tu? et cum morti proxi-

mus, 1 Reg. 2, 2. ad Salomonem juvenem dixit: וְחָזַקְתָּ וְהָיִיתָ לְאִישׁ macte igitur animo, et esto vir. Ita אִישׁ usurpatur quoque emphatice, ubi opponitur אָדָם vel אֱנוֹשׁ, et idem sonat ac amplus, spectabilis et dives, ut אָדָם et אֱנוֹשׁ in hac oppositione significet tenuem et plebejum, ubi Ps. 49, 3., ubi poëticus parallelismus synonymus hunc sensum prodit, conf. etiam Jes. 2, 9. et Prov. 8, 4.

§. 42.

Partitio emphasium.

Emphaseos, ait Quintilianus L. VIII. C. 3. §. 5., „duae sunt species: altera, quae plus significat quam dicit; altera, quae etiam id, quod non „dicit. Prior est apud Homerum cum Mene„laus *), Graios in equo sedisse **), dicit, nam „verbo uno magnitudinem ejus ostendit. Et apud „Virgilium: demissum lapsi per funem ***), „nam sic quoque altitudo demonstrata est. Idem „Cyclopa, cum jacuisse dicit per antrum „immensum ****), prodigiosum illud corpus „spatio loci mensus est. Sequens posita est in „voce aut omnino suppressa, aut etiam abscissa. „Supprimitur vox, ut fecit pro Ligario Cicero:

*) Legendum est Ulysses Odyss. IV. 522.

**) In omnibus aliis codd. legitur: in equum descendisse.

***) Aeneid. II. 261.

****) Aeneid. II. 641.

„quod si in tanta tua fortuna lenitas „tanta non esset, quantam tu, per te, „inquam, obtines. Intelligo quid loquar. „Tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, „non deesse homines, qui ad crudelitatem eum „impellerent." Abscinditur sermo per ἀποσιώπησιν, cujus exempla Quintilianus profert L. IX. C. 2. §. 2., primum illud irae Aen. I. 139.: quos ego, sed motos praestat componere fluctus; ac alterum solicitudinis et quasi religionis: an hujus ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium... non audeo totum dicere. Prioris speciei emphaseos exempla habemus in Bibliis, tum in aliis, tum in sententiis, ut vocantur, praegnantibus. Ita cum Ecclesiastes C. 10, 20. scribit: cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra ejus; nam cum cor omnis hominis in sinistro latere situm sit, dicere vult, nullum hominem esse sapientem. Sententiae praegnantes occurrunt quamplurimae, ut Ps. 31, 18. יִדְּמוּ לִשְׁאוֹל conticescant in orcum, i. e. conticescant vel quiescant descendentes in orcum, quod jam Chaldaeus agnovit, vertit enim: יִשְׁתְּקוּן וְיֵחֲתוּן לְשִׁיוֹל. Ita etiam Ps. 118, 5. עָנָנִי בַמֶּרְחָב exaudivit me in locum latum, i. e. exaudivit me, et ex angustiis deduxit me in locum am-

plum *). Exemplum suppressae vocis legitur Gen. 44, 4 — 5.: nonne illud, ex quo bibit dominus meus? intellige. furati estis: Aliud exemplum occurrit Exod. 18, 11.: in qua re petulanter egerunt Aegyptii, intellige, eadem re Jehova eos punivit, nempe aqua.

Interpretes Bibliorum emphasim aliam fecerunt constantem, aliam temporariam; verum prior commentitia est; nam si verbum quodpiam constanter occurrit cum augmento significationis, haec significatio, ita aucta, constanti usu facta est ordinaria, ut nonnisi inproprie emphasis dici possit. Exempla, quae proferunt, ad rem non faciunt, uti si dicitur Apostolus pro Paulo, aut poëta pro Homero; nam occurrunt haec nomina Apostolus, poëta, etiam, ubi de Paulo aut Homero sermo non est; et hinc augmentum hoc significationis, constans dici nequit. Si vero in N. F. vox χριστος (in genere unctus, seu rex inauguratus) semper illum, a Prophetis promissum, celsissimum regem et reformatorem orbis, aut vita aeterna, perpetuo non simpliciter vitam, sed beatam vitam significat: significatio ita aucta est ordinaria. Hujus generis sunt omnes aut fere omnes illae emphases, quas quidam interpretes ex insolita nobis phrasium orientalium compositione, aut ex prima verborum notione exsculpserunt; excipiendae

*) Plura exempla reperies in Jahn Gramm. Lingu. Hebr. ed. III. §. 111. p. 378 — 380.

tamen sunt allusiones ad primam vocum notionem, ut Ps. 8, 5. 144, 3. et Eccl, 6, 10. ad notionem primam τȣ אָדָם, terrenus, et Ps. 8, 5. 144, 3. ad primam notionem τȣ אֱנוֹשׁ, imbecillis, debilis, et persaepe ad notionem nominis יְהוָה quod dicit eum, qui semper idem perseverat, et fidelis promissionum suarum custos est; emphatice autem adhibetur, cum dicitur: ego sum Jehova, aut aliud simile.

§. 43.

Emphases nequaquam frequentes.

In nulla lingua, ordinaria verborum significatio crebro augeri solet; quare in linguis quoque Biblicis emphases frequentiores exspectandae non sunt, et hinc merito explosa fuit emphasium captatio quorundam interpretum antiquiorum, qui fere omnes orientalium loquendi formulas, a nostris longius distantes, in emphases transformarunt, etsi nullum in eis significationis ordinariae augmentum deprehendatur. Ita et illas a Quintiliano Libr. VIII. C. 3. §. 5. coll. L. IV. C. 2. §. 3. commendatas orationis virtutes, energiam scilicet seu evidentiam, vel talem repraesentationem, qua res a lectore oculis cerni videatur, porro similitudinem, et βραχυλογιαν seu brevitatem orationis, emphasibus accensuerunt, quas tamen omnes Quintilianus ab emphasi adcurate distinguit, et esse dicit ornamenta orationis, eique aliquam vim addere, sed emphasibus minime accenset. Similitudines quaepiam hyper-

bolicae sunt, sed nequaquam emphaticae, ut Thr. 2, 13. גָּדוֹל כַּיָּם שִׁבְרֵךְ magnum, ut mare, est vulnus tuum; et Cant. 8, 6. עַזָּה כַמָּוֶת אַהֲבָה fortis, ut mors, est amor. Conf. et Zach. 12, 6. 8. Energiam, sed minime emphaticam, videas in verbis Prophetarum 2 Reg. 21, 13., qui Deum loquentem inducebant: detergam Jerusalem, uti quis detergit pateram; detersit eam, et pronam in faciem vertit. Geminum est, quod Num. 22, 4. de Israelitis, qui repente reges, Sichon et Og, vicerant, et regiones eorum occupaverant, dicit Balak rex Moabitarum: nunc lambet coetus hic omnia circa nos, sicut lambit bos viridia campi.

§. 44.

Emphases fictitiae.

Verum non solum, quas commemoravimus emphases commentitias, sed et alias omnes, in quibus nullum apparet significationis ordinariae augmentum, esse fictitias, monendum esse censemus, uti I. emphases, quae praetenduntur esse rerum, quarum esse non potest nisi magnitudo et sublimitas, nullatenus autem emphasis, quae est verborum; II. emphases troporum, quorum est, decus et suavitatem orationi, non vero verbis significationis augmentum addere. III. Formae quoque verborum, ut dicuntur, intensivae, significatione intensiva ordinaria gaudent, nullum itaque praeter

ordinem accedit augmentum significationis; qui itaque eas vocant emphaticas, ignorant vim vocis. IV. Orientalium Infinitivi cum modo Finito ejusdem vel cognati verbi, constructi, hauquaquam augmentum significationi addunt, sed ut Amira Gramm. Chald. (Syr.) Romae 1596. p. 271. seqq.; Quadagnolius Brev. Lingu. Arab. Inst. Romae 1642. p. 229., Martellotus Instit. Lingu. Arab. L. III. c. 3., et Farchât Gramm. Arab. manuscr. docent, jam aliquam affirmationem aut asseverationem, jam morem vel modum, quo aliquid fit, aut etiam vicem indicant, quod ultimum tamen in Bibliis non obtinet; exempla passim obvia sunt *). V. Numeri plurales in vocibus quibusdam, quae in lingua Hebraica carent singulari, ut ὀυρανοι, ὕδατα, שָׁמַיִם, מַיִם, emphatici non sunt. VI. Abstracta, quae ab orientalibus pro concretis aut pro objectis usurpari solent, attentionem quidem magis figunt in attributum, quod exprimunt, sed significationem ordinariam minime augent; emphatica itaque non sunt, ut שִׁבְיָה, שְׁבִי, captivitas, pro captivis, שְׁבוּיִם; שֵׂיב canities, pro cano, שָׂב; ita etiam in N. F. praeputium venit pro ethnicis, circumcisio pro Judaeis; aut si Deus dicitur caritas 1 Joh. 4, 8, 16., vel si idola in V. F. dicuntur vanitas, et similia quam plurima, emphatica minime sunt. VII. Substantiva,

*) Conf. Jahn Gramm. Lingu. Hebr. ed. III. §. 112. p. 384 — 386.

quae supplent Adjectiva, significationem minime augent, quare emphatica censeri non possunt; uti Ps. 25, 19. שִׂנְאַת חָמָס שְׂנֵאוּנִי odio violentiae, i. e. odio violento, vel injusto me persequuntur, ubi non video, quid emphaticum recentissimus interpres Cl. Rosenmüller Schol. in Ps. T. II. p. 697. invenire potuerit, nisi expressionem emphaseos caussa, inproprie usurpaverit *). VIII. Denique synonyma sese subsequentia rem quidem illustrant, et diutius attentioni offerunt, emphasim autem continere, quia significationem non augent, dici nequeunt.

§. 45.

Emphases verae.

Emphases verae facile agnoscuntur, si in verbis plus latet, quam dici videtur, aut si ordinaria verborum significatio inferior est consilio authoris, aut magnitudine rei, quae indicatur, vel vehementia affectus, quo scriptor animatus est, ut sine augmento significationis inepta, aut frigida esset oratio, uti in allatis supra exemplis §. 41 — 42. facile observabis; alia sunt Ps. 118, 24.: זֶה הַיּוֹם עָשָׂה יי haec est dies, quam fecit Jehova, i. e. dies, quo Deus nobis singulari modo opem tulit; et contra Ps. 137, 7. יוֹם יְרוּשָׁלָםִ dies Jerusalem, i. e. dies urbi quam maxime fatalis; phrasis: dies Jehovae, frequenter in bo-

*) Conf. Jahn Gramm. Lingu. Hebr. ed. III. §. 101. p. 346 — 348. et §. 121. p. 422. nro. 2. §. 123, p. 431. nro. 1.

nam et in malam partem, emphatice occurrit, et Arabibus etiam solemnis est formula dies noster, de praeliis, in quibus feliciter laborarunt. Conf. et Prov. 21, 31. Jes. 2, 12. 12, 12. 13, 6. 9. 34, 8. Hos. 2, 2. Joel 1, 15. 2, 1. 11. 3, 4. 4, 16. Amos 5, 20. Obad. 15. Jer. 46, 10. Ezech. 30, 3. Zeph. 1, 7. 14. 1 Thess. 5, 2. 2 Petr. 3, 10. 12. Tale est etiam illud saepius recurrens: ero illis Deus, et ipsi erunt mihi populus, nempe Deum me ipsis praestabo protectorem et benefactorem, et ipsi erunt populus meus, uti pietate in me insignis, ita beneficiis meis conspicuus Exod. 6, 7. 29, 45 — 46. Jer. 7, 23. 11, 4. 24, 7. 30, 22. 32, 38. Ezech. 11, 19. 14, 11. 34, 24. 36, 28. 37, 27.; alias singnificatio est simplex, ubi sermo de eo est, ut Jehovam colant Deum, ut Gen. 7, 7. 28, 21. 17, 7. 8. Ita etiam quum Paulus Eph. 6, 13 — 14. Col. 4, 12. hortatur Christianos, ut stent in pugna contra adversarios, verbo hoc cum augmento significationis utitur, desumto a militibus Romanis, quorum erat in pugna, non more orientalium fugere et rursus aggredi, sed sine fuga firmos stare et impetum hostium fortiter sustinere. Ceterum sunt quidem in simplici narratione, in adcuratiori expositione doctrinae vel legum, multo rariores emphases, neque tamen prorsus desunt, ut Eccl. 2, 14.: oculi sapientis in capite ejus; et supra adductum Eccl. 10, 12: cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra ejus.

Caput VI.

De compositione ἐναντιοφανῶν.

§. 46.

Adparens locorum pugna.

Si scriptores sacri, prout alibi ostenditur, divino ad praecavendos errores auxilio adjuti erant: neque singuli secum ipsi, neque plures inter se invicem pugnare possunt, alioquin enim sequeretur, ut alteruter locus errorem enunciaret. Occurrunt nihilominus loca non pauca, quae ab aliis locis dissentiunt: ast si utraque diligentius examinantur, et libris sacris eadem, quae profanis, exhibetur aequitas, conspirare, aut saltem non necessario revera pugnare deprehenduntur; nam nulla persona inspirata de eodem subjecto, eodem respectu et de eodem tempore idem simul affirmat et negat, quod solum veram pugnam constituit.

§. 47.

Rationes εναντιοφανων.

Si igitur quaepiam Bibliorum loca, alibi dictis repugnare videntur: apta conciliatio quaerenda est, quae etiam in libris profanis tentari ubique solet, etsi non semper obtineri possit; ast in libris sacris conatus non frustratur, nec aliam ad id obtinendum viam ingredi necesse est, quam quae in libris profanis hoc casu trita est. Itaque sicut in his, ita in sacris sedulo dispiciendum est, an non alteruter locus in mendo cubet, aut forte minus recte, aut non plene intellectus fuerit. Quare ad solvendas hujus generis difficultates non requiritur nisi diligentior usus artis criticae et hermeneuticae, ut praeceptis singularibus opus non esset, nisi commodum tironum moneret, pauca adjicere.

§. 48.

Locus alteruter mendo laborans.

Occurrente itaque locorum Biblicorum pugna, quod simili casu in libris profanis fieri solet, primum diligenter inquirendum est, an uterque locus sit sanus, et repertae forte lectionis varietates, absque ullo partium studio, ad regulas criticae explorandae sunt, ut genuina lectio restituatur, qua inventa, non raro pugna quoque locorum sublata est. Ita dissensiones quaepiam Paralipomenon libros inter et libros Samuelis ac Regum feliciter tolluntur, aut saltem detegitur in alterutro loco mendum, quod, etsi defectu adminiculorum emendari non potest, ostendit tamen, veram non esse

locorum pugnam. Ita 1 Reg. 5, 6. Salomo dicitur habuisse אַרְבָּעִים אֶלֶף אֻרְוֹת סוּסִים לְמֶרְכָּבוֹ 40000 praesepiorum pro equis vehiculorum suorum; contra 2 Paral. 9, 25. habet אַרְבַּעַת אֲלָפִים אֻרְיוֹת 4000 praesepiorum; verisimillimum itaque est, literam numeralam מ, 40., cum ד, 4., a librariis permutatam fuisse. Sic quoque 2 Paral. 22, 2. pro בֶּן אַרְבָּעִים וּשְׁתַּיִם שָׁנָה 42 annos natus, legendum est, ut 2 Reg. 8, 26. habetur, בֶּן עֶשְׂרִים וּשְׁתַּיִם שָׁנָה 22 annos natus, ut literae numerales כב cum מב commutatae fuerint. Si comparentur nomina heroum Davidis 2 Sam. 33, 8 — 39. et 1 Paral. 11, 11 — 52., magna apparet diversitas, negligentia librariorum inducta, cui autem medela ferri non potest *). Ita etiam duplex mendum 1 Sam. 13, 1. manifestum est; nam inter בֶּן et שָׁנָה excidit numerus annorum, et ante וּשְׁתֵּי periit numerus major, sed numeri, qui exciderunt, nullibi conservati sunt. Huc referunt nonnulli quoque pugnam Joh. 19, 14. cum Matth. 27, 45. Marc. 15, 25. de hora, qua Christus crucifixus est, ut Joh. 19, 14. pro ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, rescribendum esset τρίτη, quod aliqui codices et Patres ecclesiae exhibent, sed id correctionem sapit; quid autem, si Johannes tempus, quod inter horam tertiam et sex-

*) Conf. Kennicotti Diss. super ratione textus Hebr. T. I. p. 51 — 244.

tam intercedebat, et sextae propius erat quam tertiae, adcuratius definire volens scripsit *hora fere sexta*? Potiori jure huc revocari potest Καιναν, qui quidem non in Luc. 3, 26., sed in versionem Alexandrinam, vel potius in illam genealogiam, ex qua Lucas hausit, intrusus fuisse videtur, et in textu Hebraico non legitur.

§. 49.

Locus alteruter minus recte intellectus.

Quodsi uterque locus est sanus, et nihilominus pugna apparet: diligentius examinandum est, an in utroque loco sit idem subjectum et praedicatum, et an utrumque in utroque loco, eodem respectu sumatur; an in utroque loco loquatur persona inspirata aut eadem, et an de eodem tempore sermo sit; an pugna non sit, in omissione quorumdam adjunctorum historicorum sita, quae author nota esse posuit, et ideo reticeri posse arbitratus est. Sic Deus Gen. 22, 1. tentavit Abraham, et Exod. 15, 25. 16, 4. 20., 20. Deut. 13, 3. etiam Hebraeos, et Psaltes 28, 2. orat Deum, ut ipsum tentet; e contrario scribit Jacobus 1, 13.: *Deus neminem tentat*; ast prioribus locis praedicatum est, *experiri, periculum facere*, ut ex Deut. 28, 56. et 1 Sam. 17, 40., atque ex significatione verbi Arabici بلا *tentavit hominem per beneficia vel per afflictiones*, liquet; in loco autem Jacobi tentare est *incitare ad malum morale*, uti ex mox consequentibus

v. 14. patet. Ita quoque mandatum Luc. 24, 49. Act. 1, 4., ne Apostoli Jerosolymis discederent, duntaxat cavet, ne alibi domicilium figant, aut in patriam ad suos redeant, donec recepissent Spiritum sanctum; adducta loca non pugnant cum Matth. 28, 7. 10. Marc. 16, 7. Joh. 21, 12., ubi Apostoli jubentur in Galilaeam proficisci, Jesum ibi visuri. — Nathan 2 Sam. 7, 3. probat Davidis consilium aedificandi templum, sed ex proprio judicio; quare v. 5. divinitus edoctus, sine pugna idipsum reprobat. Similiter Jesaias c. 38, 1. proprio judicio regi Hizkiae, peste laboranti, annunciat instantem mortem; et v. 4 — 8. ex revelatione divina promittit recuperationem sanitatis et longiorem vitam. — Posteri Jacobi in Aegyptum commigrantes Gen. 46, 26 — 27. et Exod. 1, 5. dicuntur fuisse 70 personae; sed Stephanus, qui non erat inspiratus, numerat 75. Act. 7, 14. — Numerus Levitarum subductus ex Num. 3, 22. 28. 34. est 22300; ast Num. 3, 39. dicitur fuisse 22000, cujus diversitatis ratio est, ut observavit Cl. Rosenmüller ad h. l., quod 300 fuerint Levitae primogeniti, qui in censum permutationis cum primogenitis Jsraelitarum, non venerunt. — Ita etiam Num. 4, 3. 23. 30. 39. Levitae servitia ineunt 30 annos nati, et Num. 8, 24. ministrant 25 annos nati, pugna nulla est; prioribus enim locis sermo est de molestioribus laboribus, posteriori vero loco de ministerio leviori; hinc Num. 8, 26 adjicitur, Levitam 50 annis majorem adhucdum ministrare

fratribus suis in sacro tabernaculo, etsi a molesta gestatione partium et utensilium sacri tabernaculi absolutus sit, quo indicatur, idem valere de Levitis ab anno 25 usque ad 30. — Si Jesus Matth. 12, 38 — 42. 16, 1 — 4. Marc. 8, 11 — 12. Luc. 11, 29 — 30., Pharisaeis petentibus signum denegat, id nequaquam, ut contendunt recentiores quipiam, est contrarium illis locis, in quibus legationem suam divinam miraculis comprobat, et ad ea provocat, ut Matth. 11, 3 — 5. 9, 34. 12, 24. Joh. 10, 24 — 38. 11, 42. 14, 10 — 14. 9, 36. 15, 22 — 24. conf. Joh. 3, 2. 5, 13. 9, 17. 32 — 34. Marc. 16, 20.; sed Jesus ideo solummodo denegavit petitionem Pharisaeorum, quia miracula patrata Belzebulo tribuebant, et patranda quoque eidem tributuri erant. — Mulieres Matth. 28, 10. amplectuntur genua Jesu; Maria Magdalena autem Joh. 20, 17. prohibetur ipsum tangere; ast alia et diversa utrobique est historia. — Ancilla Hebraea Exod. 21, 7. anno septimo non manumittitur, sed Deut. 15, 17. manumittenda est, quia prior lex primo mox anno post egressionem ex Aegypto lata, mutatis rerum adjunctis anno quadragessimo mutata est. Ita etiam lex de foenore Exod. 22, 24. Lev. 25, 35 — 37., mutata fuit Deut. 23, 20 — 21.

Huc pertinet quoque celebris illa pugna Paulum inter et Jacobum in doctrina de justificatione, quam Paulus Rom. 4, 2 — 3., fidei exclusis operibus; Jacobus vero Ep. c. 2, 21., operibus tribuit, et uterque ad exemplum Abrahami pro-

vocat, qui juxta Paulum ex fide sine operibus, juxta Jacobum autem ex operibus justificatus est. Ast Paulus excludit opera ceremonialia legis Mosaicae, uti circumcisionem, quam v. 10 — 12. dissertis verbis commemorat; Judaei enim, contra quos disputat Paulus, ab operibus hujus generis justificationem repetebant; praeterea Paulus fidem, cui justificationem vindicat, intelligit vivam, seu per bona opera efficacem, quae nempe ad opera bona moralia efficaciter incitat. Jacobus e contrario loquitur de ipsis his bonis operibus moralibus, quae Paulus simul sub fide comprehendit; praeterea Jacobus ait, fidem mortuam, de qua prorsus non loquitur Paulus, ad justificationem minime sufficere. Ex his apparet, Apostolos hos apprime consentire, et Jacobum solummodo edocere eos, qui doctrina Pauli abutebantur, ac si fides, etiamsi mortua, justificaret.

§. 50.

Pugna apparens ex diversitate phrasium.

Quaedam locorum pugnae debentur diversis phrasibus, quae cum idem significant, diversa, vel cum diversa significant, idem significare putantur, ubi opus non est, nisi formulas loquendi diligenter expendere, et contextum orationis, substratam materiam, ac reliqua adjuncta in consilium vocare. Ita dicitur Exod. 33, 11., Jehova locutus fuisse Mosi facie ad faciem, verum id nihil aliud est, quam familiariter, ut ex adjecto:

sicut solet homo loqui homini, liquet, quod minime pugnat cum Exod. 33, 18., ubi Moses Deum rogat: ostende mihi gloriam tuam *). Johannes scribit 1, 18.: Deum nemo vidit unquam, et Paulus 1 Tim. 6, 16. idem amplius confirmat his verbis: Deus lucem habitat inaccessibilem, quem nemo vidit, neque videre potest; nihilominus Johannes 1 Ep. 3, 2. scribit: videbimus Eum sicuti est; ac Paulus 1 Cor. 13, 12. ait: videbimus Eum facie ad faciem, et id explicat: nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam, sicut et cognitus sum, quod utrumque profecto premendum non est, sed indicat eminentem et singularem modum cognoscendi Deum in futura vita, ad quem proprie exprimendum in linguis nostris omnibus verba desiderantur; in prioribus autem locis uterque Apostolus loquitur de visione corporea, qualis in hac vita est. Sed quid faciemus visionibus et apparitionibus Dei in V. F., quae huic doctrinae repugnare videntur? Difficultatem hanc jam observarunt antiqui, et responderunt, Deum seu τον λογον apparuisse in symbolo sensibili, de quo jam supra mentionem fecimus. Appa-

---

*) Alias ex versione vulgata opponi solet Exod. 33, 13., ubi legitur: ostende mihi faciem tuam; ast in textu Hebraico habetur, ostende mihi viam tuam, uti etiam Hentenius in 6 manuscriptis Vulgatae reperit, et in margine editionis Vulgatae 1566. Antverpiae in 24. T. I. p. 81. vers. annotavit.

ritiones symbolicas fuisse, conficitur ex eo, quod Deus Mosi apparuisse legatur, et nihilominus dicit Deus Exod. Exod. 33, 20., se a mortalibus videri non posse. — Ita etiam saepe doctrina Christi dicitur pacem conciliare cum Deo et hominibus; Christus vero Matth. 10, 34. disserte dicit, se non venisse, ut pacem mitteret in terram, sed gladium, seu bellum et dissensionem; ast perpendendae sunt diversae significationes vocis εἰρήνη, שָׁלוֹם, et non praetermittendus est usus loquendi Hebraeorum, quo id, quod sequitur, quin spectatum fuerit, ut finem spectatum enunciare solent; et Jesus mox v. 35. explicat, dissensiones inter proximos, consanguineos exorituras, quum scilicet alter ejus doctrinae adhaerebit, alter autem repugnabit. Pax autem illa cum Deo et hominibus, quam confert doctrina Christi, interna et alterius generis est, et externam tranquillitatem ex natura sua conciliat, etsi nonnunquam perversitate aliquorum impediatur.

§. 51.

Pugna locorum dogmaticorum.

Si loca, in quibus doctrina exponitur aut attingitur, invicem pugnare videntur: animadvertendum est, quibus in locis doctrina diligenter et adcurate proponatur, et ad haec exigenda sunt reliqua loca, in quibus tantum obiter et in transitu commemoratur, non integra explicatur, sed aliquid praetermittitur, aut etiam adjicitur alibi dictis, aut alio respectu proponitur. Id nihil est singulare, sed in interpretatione quoque librorum pro-

fanorum observatur; nam authores quicunque, sive sacri, sive profani, doctrinam alicubi clare expositam, vel aliunde omnibus jam notam, non ubique rursus eadem diligentia explicant, sed non raro obiter attingunt, aliis loquendi formulis exprimunt, aliqua praetermittunt, aut quidpiam addunt, aut doctrinam illam alio modo explicant, quae omnia juxta analogiam doctrinae, alibi clare expositae aut aliunde cognitae, intelligi volunt. Ita si Jesus Gal. 3, 13. Col. 2, 14. etc. dicitur morte sua Judaeos redemisse a maledicto legis, et a lege Mosaica liberasse, aut 1 Joh. 3, 6. 9. 5, 18. etc. homines eo adduxisse, ut non amplius peccent: haec adcommodanda sunt ad doctrinam aliis pluribus locis clare expositam, Christum factum esse peccatum, i. e. sacrificium pro peccato 2 Cor. 5, 21., et propitiationem pro peccatis totius mundi 1 Joh. 2, 2. 4, 10.; pro nostris peccatis mortuum esse, 1 Cor. 15, 3.; seipsum λυτρον et αντιλυτρον pro nobis dedisse Matth. 20, 28. Marc. 10, 45. 1 Tim. 2, 6., et ita nos redemisse a poenis peccatorum Tit. 2, 14. 1 Petr. 1, 18. Hebr. 9, 12 *). Sic

*) Mirum est, hanc verbi λυτροω, פָּדָה, significationem a recentioribus perverti, quae tamen ex Arabum usu loquendi certissima est; hi enim creberrime dicunt, se velle per vitam suam redimere alterum carissimum a morte, uti in Excerptis ex Hamasa in Erpenii Gramm. Ar. p. 327. فدت نفسي فوارس, redimat vita mea equi-

etiam Jehova non raro dicitur Deus Israelitarum (a quibus colebatur) quasi nationalis, unde minime sequitur, excludi doctrinam, Eum esse Deum omnium, et etiam earum gentium, a quibus non colebatur; quum enim hoc aliunde vel ex Genesi esset notissimum, non erat opus, ubique lo-

---

tes; et alias dicunt إنّي فداً لك, profecto ego sum redemtio pro te, vel جعلت فداك, fiam redemtio tua, vel أبي فداك, pater meus sit redemtio pro te; in Annal. Mosl. IV. p. 284. legitur: لفدت أم المظفر الألف من البشر, profecto redimerent matrem Modafferi (a morte) milleni homines, ubi Reiske p. 286. Not. d. adducit ex Vita Saladini p. 277. l. 7. ed. Schultensii verba sequentia Bab eddin: „saepe audivi homines erga „caros sibi hac honoris formula uti: utinam anima „mea (vita mea) possit te redimere. Hanc formu„lam semper putabam non stricte, sed benigne interpre„tandam, existimans amorem adeo crescere non posse, ut „quis revera pro altero mori cupiat. Verum eo die expe„rientia propria et aliena didici, et vidi, quod animati „sint revera et serio, unum alterius vice mori velle, et „moriturum esse, si eo redemtio et vicium permutatio „ab arbitrio termini fatalis admitteretur, et Saladinum „millenas animas redemturas fuisse." Eadem notio verbo פָּדָה, 2 Sam. 19, 1. Jes. 43, 3. Ps. 49, 8 — 9. et aliis pluribus locis subjecta est, ut saltem tanquam tritissima et communis tenenda sit, nisi graves rationes exegeticae aliud suadeant; argumenta philosophica sola aliam verbi cujusvis notionem evincere nequeunt.

corum ejusdem facere mentionem. — Saepe pugna disparet, si modo uterque locus diligentius examinatus et explicatus fuerit, cujus supra exemplum §. 49. attuli; aliud habemus Joh. 12, 47., ubi Jesus ait, se non venisse, ut mundum judicet, i. e. condemnet et puniat, ut ex adjecto contrario; sed ut salvificem mundum, liquet; ast Joh. 9, 39. ait: se ad judicium venisse in mundum, ut, qui non vident, videant, et qui vident, coeci fiant (occasione restituti coeco nato visus, quod signum Pharisaei agnoscere nolebant), ubi primum quod praeter consilium consequitur, tanquam spectatum fuisset, more Hebraeorum edicitur, et dein κρισις idem est ac contentio et lis, uti a 70 ponitur pro מָדוֹן et מדנים Prov. 23, 29. 6, 19.

Si doctrina V. F. cum N. F. nonnunquam collidere videtur: non est omittenda observatio, in A. F. doceri homines minus cultos et politos, ac, ut ita dicam, in statu infantiae humanitatis constitutos, modo huic conditioni adcommodato, adeoque plura desiderari, quae in N. F. humanitas adultae aetatis edocetur, quod Jesus ipse fundamenti loco posuit, cum dixit Matth. 5, 17 — 18., se quidem longe abesse, ut aboleat libros V. F. seu Legem et Prophetas, sed velle perficere et complere, quae desiderantur. Pleraeque hujusmodi collisiones vertuntur in eo, quod N. F. eandem doctrinam vel compleat, vel clarius proponat, vel magis urgeat,

vel restringat, aut extendat, aut reformet. Ita idea de vita post mortem futura completur notitia diversae sortis proborum et inproborum, et doctrina de resurrectione, quae utraque etiam in quibusdam libris V. F. deuterocanonicis docetur; caritas proximi clarius traditur et magis urgetur; vindicta in V. F. quidem adeo reprobata est, ut se ipsi vindicantes atheis accenseantur Ps. 8, 2. 40, 17. conf. 1 Sam. 24, 13 — 14. 26, 20.; nihilominus antiqui illi imprecationes in hostes praesumebant, quod indulgendum est illis, qui, futurae post mortem sortis hominum ignari, justitiam divinam in hac vita conspicuam fieri optabant, ut probi non solum a vexationibus inproborum liberentur, sed etiam in studio probitatis confirmentur, inprobi autem exemplis punientis justitiae divinae terreantur, et ad sanam mentem redeant; conf. Jes. 26, 9 — 10. Ps. 5, 11 — 13. 9, 17. 58, 12. 82, 8. 93, 1 — 15. 109, 26 — 28. etc.; ast in N. F. perfectiorem discimus disciplinam. — Polygynaecia, quia legi naturali non absolute, sed duntaxat hypothetice repugnat, in V. F. permissa fuit, in N. F. Matth. 19, 9. Marc. 10, 11. Luc. 16, 18., ut supra ostendimus, interdicta est, et ita omnes leges civiles et ceremoniales in N. F. abrogatae sunt, et in contentionem venire non possunt.

§. 52.

Pugna locorum propheticorum.

Occurrente pugna locorum propheticorum inter se vel cum locis alterius generis, observanda ve-

niunt sequentia: I. calamitates cujusvis generis plerumque sub conditione, nisi resipiscentia et vitiorum emendatio secuta, aut consilio Prophetae obtemperatum fuerit, annunciabantur, uti Prophetae nonnunquam ipsi dissertis verbis profitentur, ut Jes. 7. Jer. 38, 14 — 33. etc.; id antiqui Hebraei probe noverunt, ut ex Jer. 26, 17 — 19. liquet, quo in loco tamen hac notitia sensum Prophetae Michae minime assecuti sunt. Si igitur alibi narratur, rem aliter cecidisse, quam praedictum fuerat, pugna locorum nulla est. II. Si de eodem objecto vel subjecto contraria praedicta sunt: ad diversas aetates spectant; ut si Hebraeis alicubi calamitates, alibi autem laetiora annunciantur, diversa tempora respiciuntur; aut si de Messia jam magnifica, jam humilia praedicuntur, nec pugna est, neque, ut Judaei fingunt, duplex Messias, alter humilis e posteris Josephi, alter magnificus e posteris Davidis, indicatur, sed tempus Messiae diversum, nempe vitae et mortis, atque resurrectionis et ascensionis in coelum, ac ejusdem ad dexteram Dei exaltati gubernatio ecclesiae significatur. II. Quaepiam effata Prophetarnm non sunt praedictiones rerum futurarum, sed mandata de iis, quae agenda essent, et si alibi neglecta fuisse apparet, difficultatem creare nequeunt, uti illa jejunia, eversis per Nebucadnezarem Jerosolymis introducta, quae Zacharias nomine Jehovae c. 7 — 8. abolenda, et in laeta festa convertenda esse dicit, sed nihilominus

conservata fuerunt. IV. Quaepiam vaticinia meras complectuntur imagines rerum futurarum, quae premendae non sunt, sed id solum, quod significatur, tenendum est; si itaque alibi refertur, ad tenorem literae non fuisse opere completa, negotium facessere nequeunt, ut ultima novem capita Ezechielis, quae jam in Introductione in LL. V. F. P. II. §. 142. meram imaginem esse ostendi, qua reditus Hebraeorum, occupatio Palaestinae, et restauratio urbis et templi, adumbratur, id modo addo, hanc jam olim Hieronymi fuisse sententiam, forte a Judaeis acceptam. Ita etiam Ezech. 37. resurrectio mortuorum est imago restitutionis populi Hebraici in patriam suam, uti quoque jam olim Hieronymus exposuit *). Permultae hujus generis imagines occurrunt in Apocalypsi. Si haec ita se habent, quaerere rursus liceat, an non bella et victoriae Messiae esse possint, et reapse sint merae imagines, vivacioribus coloribus pictae, quibus omnia impedimenta ejus regno objecta, superanda esse significantur.

§. 53.

Pugna locorum historicorum.

In historia pleraeque hujus generis difficultates nascuntur ex diversis earundem rerum, locorum, et personarum nominibus, et variis definitionibus temporum, ex ordine rerum gestarum, ex attributis et adjunctis adjectis vel omissis; haec

*) Hieronymus Comment. in Ezech. 37 et 40.

enim nullus scriptor semper et ubique locorum, ubi mentio incidit, ad amussim omnia persequitur, sed quilibet narrator plura aliunde nota esse ponit, e pluribus nominibus rerum, locorum et personarum unum pro lubitu seligit, tempus, locum, numerum, et ipsam quoque rem gestam, jam crassius, jam subtilius definit, quae pugnare censeri non possunt. Sic si in narratione autochiriae Sauli 1 Sam. 31, 10. non memoratur ille Amalekita, qui 2 Sam. 1, 1 — 5. occurrit, pugna nulla est, sed vel amplior in posteriore loco narratio, vel Amalekita hic, ut verisimile est, ineundae apud Davidem gratiae caussa, finxit quae narravit. Si rex, qui 2 Paral. 26, 3. 11. 18. 19. 21 — 23. dicitur Uzzias, 2 Reg. 15, 1. 6. compellatur Azarias; et si pater illius Zachariae, qui templum (i. e. sanctuarium) inter et altare interemtus est, Matth. 23, 25. dicitur Barachias, et 2 Paral. 24, 20 — 27. Jojadas: non est necessario pugna, sed tam ille, quam hic fuit forte binominis, quod idem obtinet, si ille sacerdos, qui 1 Sam. 20, 25. dicitur Abiathar, 1 Paral. 24, 3. 6. 31. appellatur Achimelech. — Si Matth. 20, 30. duo caeci referuntur, et Marc. 10, 46. Luc, 18, 35. unus memoratur: id solum inferri potest, Matthaeum plus dicere quam reliquos, proprie autem pugna non est. — Si Lucas c. 24, 12. narrat, Petrum cucurrisse ad sepulcrum Jesu, Johannes vero c. 20, 2 — 10. se et alios Petro adjungit, et addit, hos praecurrisse, et citius Petro advenisse; si Lucas, qui

solum currentem memorat Petrum, porro adjicit, eum advenientem inspexisse in sepulcrum, ac vidisse τα οθονια μονα; Johannes vero insuper addit, Petrum etiam in sepulcrum intrasse, et sudarium seu velamen capitis quoque seorsim jacuisse: nihil aliud ex his omnibus discrepantiis colligi potest, nisi Johannem narrasse adcuratius quam Lucam, nec haec et alia his similia censeri possunt proprie pugnare, ut opinatus est author fragmentorum Quelpherbytanorum. Ex omissione et additione adjunctorum explicatur quoque celebris illa pugna inter loca de tragico fine regis Jojakim 2 Reg. 24, 6. 1 Paral. 36, 6. et Jer. 36, 30., quorum expositionem et compositionem multo difficiliorem libelli angustiae non capiunt.

Cavendum denique est, ne ipsi pugnas locorum fingamus, historias, quae sunt in diversis locis eaedem, distinguendo, vel quae sunt diversae, confundendo, uti quod narrat Lucas c. 24, 2 — 7., a mulieribus in sepulcro Christi conspectos fuisse duos angelos, nempe postquam Maria Magdalena in urbem redierat, ut refert Johannes 20, 1 — 2., non est confundendum cum eo, quod narrat Johannes c. 20, 11 — 16., Mariae Magdalenae post reditum ex urbe, duos angelos et ipsum quoque Christum redivivum apparuisse. Ita etiam nostra aetate non pauci interpres mythologici tres historias de raptu mulierum, quem verebantur Abraham et Isaac in Aegypto et Gerar, confundunt, et in unicam transformare contendunt, imme-

mores, hujusmodi raptum illo, et etiam recentiori adhuc aevo fuisse adeo frequentem, ut Herodotus L. I. 1. primam inimicitiarum Graecos inter et Asiaticos populos caussam, a rapinis hujus generis repetat, ne commemorem celeberrimum raptum Helenae, ex quo raptus mulierum alios non paucos, sed minus celebres, colligere facile possumus. Ceterum in has leges, quas in antiquis libris profanis religiose observamus, persaepe peccavit Vaterus in Comment. über den Pentateuch 1802 — 5., et de Wette Beyträge zur Einleit. ins A. T. 1805 — 7.

Caput VII.

De audiendis et legendis interpretibus, et de exercitatione hermeneutica.

§. 54.

Exercitatio hermeneutica.

Qui omnes regulas interpretandi, non modo V. et N. F. communes, sed etiam cuilibet peculiares, tenet, nec linguarum et antiquitatum cognitione caret: non ideo etiam promta in omnibus facultate pollet, recte interpretandi, quia nondum didicit, quibus regulis in quolibet loco, et qua ratione recte iis utendum sit. Hermeneutica, ut mox initio monuimus, non est proprie scientia, sed, saltem si officium ejus spectetur, ars, quae sine exercitatione non adquiritur. Tiro itaque, necessaria supellectili exegetica instructus, se ipse in interpretatione exerceat necesse est, ut usum regularum sibi familiarem reddat. Atque id primum fit audiendo claros

interpretes; plura enim de usu regularum viva voce traduntur, quae in libris frustra quaesieris, nec, ut repetitiones ejusdem rei frequentiores evitentur, in ipsis locum habere possunt. — Dein scripta optimorum interpretum legenda et dijudicanda sunt. In hoc utroque exercitationis genere inprimis usus regularum spectandus est, atque observandum, an non ipse interpres, qui auditur vel legitur, hinc inde regulis minus recte usus sit; an non verba, invitis principiis interpretandi, et invito usu loquendi, ad sua sensa detorserit; an usum loquendi adprime perspexerit; nullus enim interpretum nunquam peccat. — Quaecunque autem observantur singularia, in chartam conjicere juverit. — Denique exercitatio interpretationis propriis viribus tentanda est. Antequam autem de his generibus exercitationis praecipiamus, nonnulla de operibus interpretum, quae legenda esse monuimus, dicenda veniunt.

Interpretes V. F. sunt vel Judaei, vel Christiani; atque tum illi, tum hi Christiani interpretes V. et N. F. sunt vel antiqui, vel recentiores. Antiquioribus, non quidem omnibus, plerisque tamen, uti et multis recentioribus, adminicula necessaria, praesertim ars critica, ac notitia linguarum, historiae et antiquitatum, defuerunt. Alii porro tam in V. quam in N. F. magis sensum literalem, alii magis mysticum, alii dogmaticum, Judaei nonnulli etiam kabbalisticum consectati sunt, quorum primi, reliquis omnibus longe praestant. Opera celebriora, in quibus haec tractantur, sunt **Homiliae, Scho-**

lia, Quaestiones, et Commentarii, de quibus singulis quaepiam monenda sunt.

§. 55.

Homiliae.

Homiliarum nomine veniunt familiares ad populum Christianum sermones, quibus fragmenta S. Scripturae explicantur, et ad vitam recte instituendam transferuntur. Cum horum operum finis sit instructio populi, alia interpretatio expectanda non est, quam ad captum populi adcommodata, quae quidem in plerisque illis antiquis est mystica, in nonnullis tamen etiam literalis, uti in Homiliis S. Chrysostomi, et in pluribus recentioribus, uti inprimis in Gottfr. Less Sonntags-Evangelien 1781. In his itaque operibus subtilior tractatio locorum S. Scripturae, et solutio difficultatum, quae ad vitae rationem nihil facit, frustra quaeritur, lectio tamen meliorum, pastoribus populi perutilis est.

§. 56.

Scholia et Quaestiones.

Scholia sunt adnotationes breves, quibus explicantur, quae occurrunt difficilia aut paulo abstrusiora, nempe I. graviores lectionis varietates examinantur, et ad regulas artis criticae explorantur; II. voces et loquendi formulae difficiliores et obscurae per faciles et claras, rarae per obvias, tropicae per proprias exponuntur; III. personae occurrentes, loca geographica, allegationes historiae antiquioris, circumstantiae historicae illius aetatis, et allusiones ad antiquitates minus notas,

paucis describuntur et illustrantur; et IV. praecipuae discrepantes locorum difficilium interpretationes referuntur, dijudicantur, et quae sit verisimillima, definitur. In his omnibus laudatur perspicuitas, brevitas et illa plenitudo, quae nihil difficile aut obscurum intactum relinquit, et nihil, quod aliunde clarum est, explicatione onerat; minime frequens profecto virtus Scholiorum.

His affines sunt Quaestiones, quas antiqui scriptores ecclesiastici in quosdam S. Scripturae libros conscripserunt; differunt vero a Scholiis in eo, quod non omnia, quae explicatione indigent, attingant, sed aliquas duntaxat, et quidem illas solas difficultates spectent, quae illa aetate movebantur.

§. 57.

Commentarii.

Quod Scholia paucis, hoc Commentarii pluribus et majori ambitu praestant. Commentariorum itaque est, I. lectiones variantes, non solum graviores, sed omnes, quae sunt alicujus momenti, et etiam verisimiliores conjecturas criticas adferre et dijudicare; II. notiones verborum, et sensum propositionum, quae aliqua difficultate laborant, eruere et argumentis exegeticis comprobare; III. res historicas, personas occurrentes, loca geographica, allusiones ad ritus, mores et consuetudines, atque etiam doctrinas dogmaticas et morales, eas tamen duntaxat, quae sunt obscurae aut difficiliores, vel ab

adversariis impugnatae aut depravatae, illustrare et vindicare; IV. sententias aliorum, quae habent aliquam veri speciem, sive ad criticam, sive ad exegesim spectent, adferre, dijudicare, sententiam ferre, eam clare proponere, et argumentis idoneis comprobare, atque etiam ea, quae objiciuntur, aut objici possunt, refellere.

Vitiis accensendae sunt I. longiores de verbis disputationes, quae ad sensum authoris perspiciendum aut comprobandum, nihil conferunt; II. tractationes dogmaticae aut morales in locis alioquin claris; III. explicationes verborum et rerum, quae aliunde lectores minime latent; IV. omissiones locorum difficilium, quae explicatione opus habent, aut eorundem explicatio mystica, quae in antiquioribus frequens est; V. digressiones ad res alienas, quae ad hunc locum non pertinent, aut nimis diligens historiae enarratio; vitium Judaeis *) et antiquioribus Christianis, imo jam olim grammaticis Romanis non insuetum **); VI. explicationes ad rigorem dialecticae exactae, vel e definitionibus

*) Rich. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. 5. p. 418. ed. 1680.

**) Quintilianus L. I. c. 5. §. 8. de interpretatione et enarratione authorum scribit: „his accedat enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad supervacaneum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris auctoribus memoratas exposuisse satis est. Perse-, qui quidem, quod quisque unquam vel contemtissimo-

philosophicis haustae, vitium antiquis et recentioribus quibusdam commune, ut Paulusius Comment. ins N. T. T. I. p. 496. πρᾶυς, Hebr. עָנָוִים, ex Aristotele explicat; VII. expositiones a longe petitae, quaesitae, artificiosae et argutae, aut ex sectis philosophicis arcessitae, quarum exempla nec olim defuerunt, nec nostra aetate desunt; recentissima vidimus in Kantii Religion innerhalb den Graenzen der Vernunft, et in operibus asseclarum ipsius adhucdum conspicimus.

§. 58.

Antiqui interpretes Judaei.

Iudaei antiqui Scripturam S. allegorice seu mystice interpretari solebant, quorum quidem non primus, attamen princeps est Philo, diligens sectator Platonis, qui similem interpretationem mythorum Graecorum suaserat, et in hac diligentissimos asseclas habuit Stoicos. Allegoricae et magna ex parte adcommodatae sunt quoque interpretationes Thalmudis et Medraschim seu Rabboth, et id non mirum; Judaei enim cuncti, studio allegoriarum, quod erat illis seculis in amore, abrepti, aliter agere vix poterant. — Liber Zohar, quem Judaei absque idoneo argumento perantiquum faciunt, kabbalisticus est, et nonnullis suspectae fidei. Praeterea in his operibus propinantur lectori, sub spe-

„rum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis „jactantiae est, et detinet atque obruit ingenia, melius „aliis vacatura."

cioso titulo traditionum, ineptiae omnis generis. Quae utilia ex ipsis hauriri possunt, fere redeunt ad historiam literariam interpretationis, ad singulares Judaeorum sententias, ad cognitionem dialecti Thalmudicae et antiquitatum Judaicarum, quae una cum dialecto Thalmudica ad interpretationem N. F. permultum conferunt, ut ostendit Lightfootus in Horis Hebraicis, et Schoettgenius in Horis Hebraicis et Thalmudicis 1733 Dresdae et Lipsiae, ac Meuschen in N. T. ex Thalmude et Antiquitatibus Hebraeorum illustrato 1736. Lips. *).

§. 59.

Praecipui interpretes Judaei recentiores.

Celebriores interpretes Judaei, qui a seculo XI. usque ad XVI. floruerunt, recensentur a R. Simon in Hist. Crit, du V. T. L. III. Chap. 5 et 6. p. 418 — 430. Principem locum Simon assignat Aben Ezrae, qui in Praef. in Pent. regulas interpretandi tradit sanas, quas ipse sequitur, ac rejectis somniis Kabbalae et limitatis explicationibus mysticis, literalem sensum eruit; traditiones, quas venerari se verbis profitetur, reapse non anxie curat, nec ad aliena evagatur. Genus autem orationis consectatur obscurum et intricatum; hinc interpres indiguit interprete; explicationes enim horum commentariorum, בּאוּרִים dictae, conscriptae fuerunt.

---

*) Conf. R. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. T. p. 416 — 418. ed. 1680.

R. Moses ben Maimon, a literis initialibus Rambam dictus, et alias etiam Maimonides compellatus, in מוֹרֶה נְבֻכִים, seu doctore perplexorum, difficillima Scripturae loca explicat, inter quae tamen occurrunt quoque talia, quae his accenseri non possunt. Opus hoc quidem, quia traditionem evertere videbatur, mox adversarios offendit, sed demum a pluribus celebratum fuit. Reapse author Aristotelem obtrudit authoribus sacris, et subtiles notiones metaphysicas Bibliis infert, interdum etiam grammaticam negligere videtur.

R. Davidis Kimchii Commentarius literalem sensum exponit, et dialectum Arabicam in subsidium vocat; justo tamen plures et subtiliores observationes grammaticas exhibet. Versio Latina Commentarii in Jesaiam, curis Caesaris Malanimei prodiit Florentiae 1774.

R. Salomon Isaac, Jarchi dictus, et a literis initialibus Raschi compellatus, minutias quidem grammaticas negligit, et magis theologiam Judaicam consectatur, sed traditionibus Thalmudicis praeoccupatus est.

R. Levi ben Gerson similis est Maimonidi, prorsus philosophus; quare et narrationes miraculorum nonnunquam extenuat et detorquet.

R. Moses ben Nachman, a literis initialibus Ramban dictus, Pentateuchum explicat mystice ex traditionibus et Kabbala, nonnunquam tamen grammaticus est, et sensum literalem exponit.

R. Bechai stilo puro interpretatur Pentateuchum literaliter, allegorice et kabbalistice. Rich. Simon partem interpretationis, quae literalis est, in compendium redactam, mereri editionem censet, quae tamen vix laborem remuneraretur.

Don Isaac Abarbanel, vel Abrabanel, stilo quidem puro et facili, sed fusiori et oratorio, aliorum interpretationes magna cum libertate dijudicat, et ad rectam interpretationem permultum confert, sed justo subtilior est, et plures quaestiones non necessarias interserit.

R. Mordochai ben Eliezer Comtino Constantinopolitanus, utili commentario Pentateuchum illustravit, in quo sensum literalem eruere studet, et doctissimorum Rabbinorum, praesertim Aben Ezrae, interpretationes adfert et dijudicat.

R. Lombroso edidit Biblia Hebraica adjectis annotationibus, in quibus loca difficilia paucis et sano judicio explicat.

R. Aben ben Melech optimas interpretationes literales, praesertim ex R. Juda, R. Jona, Aben Ezra et Kimchio, aliisque collegit, et in formam commentarii perpetui in totam S. Scripturam, redegit; opus forte plerisque aliis praeferendum.

Reliqui omnes Judaei interpretes sensus allegoricos seu mysticos consectantur, et partim Kabbalisticos et inanes ingenii lusus interponunt.

§. 60.
Praecipui Christiani interpretes antiqui.

Antiqui scriptores ecclesiastici multo minorem inveniendo sensui literali, quam stabiliendae religioni, explicandae doctrinae, et formandis moribus operam navarunt, et ad id scripturam adcommodabant, quare plerumque sensum allegoricum seu mysticum, qui aetati satis arridebat, usurpabant; sed non defuerunt, qui hoc genus interpretationis inprobabant, ut Author Recognitionum, qui non modo ipse literaliter, etsi non semper feliciter, interpretatur, sed etiam allegoricam seu mysticam interpretationem, utpote ex philosophia gentilium (a Platonicis et Stoicis) ad Judaeos delatam, reprobat *). Tertullianus quoque plerumque literalem sensum, sed non raro infeliciter, eruere conatur **). Generatim autem Schola Antiochena sensui literali tenacius inhaerebat, cum e contrario Schola Alexandrina sensum mysticum consectaretur, unde permulti et graves conflictus orti sunt. Conf. Cl. Münter de Schola Antiochena 1811 Hafniae.

Origenes, ab Hieronymo ecclesiarum post Apostolos magister dictus, primus fuit, qui primo dimidio seculi III., praeter

*) Conf. D. Joh. Georg. Rosenmüller Histor. Interpretat. T. I. p. 80 — 84.

**) Rosenmüller ib. T. II. p. 29 — 36.

homilias, etiam Commentarios et Scholia in libros S. Scripturae exaravit. Vir subtili ingenio praeditus, literis sacris et profanis omnis generis excultus, linguam quoque Hebraicam edoctus, atque ampla eruditione instructus. In Scholiis quidem sensum inprimis literalem paucis exposuit, in Homiliis ad captum populi locutus est, in Commentariis autem triplicem sensum eruere studuit, literalem, moralem, et mysticum seu spiritualem, in quo profecto omnem modum excessit *). Hanc vero methodum interpretandi non omnes probasse, patet ex Origenis epistola ad Africanum, in qua invehitur in presbyteros, qui leges Mosis rituales ad literam interpretabantur. Scholia, quae modestiora erant, temporum injuria perierunt. Ceterum multo plures reperit asseclas in mystica interpretatione quam in literali, non modo sua aetate, sed etiam seculis subsequentibus, donec doctrina ejus in Concilio oecumenico VI. anno 553 proscripta fuisset, neque tamen jam sec. IV. et V. adversarii Origenis, nec sequentibus seculis defensores defuerunt.

Chrysostomus, Diodori Tarsensis, qui sensum literalem consectabatur, discipulus, et Theodori Mopsuesteni condiscipulus, Scholae Antiochenae assecla, magnam partem V. et N. F. homiliis illustravit, in quibus quemlibet locum grammatice et

---

*) Rosenmüller ib. T. III. p. 17 — 156. Rich. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. 9. p. 439 — 442.

historice exponit, atque adhortationes ad mores formandos, jam praemittit, jam subjungit, non raro etiam ad dogmata digreditur, et haereticos refutat. Allegoricam interpretationem quidem minime spernit, magis tamen, quam alii plerique, sensum literalem consectatur; in V. F. passim utitur versionibus Aquilae, Symmachi et Theodotionis, nonnunquam etiam ad textum Hebraicum provocat, quem ex Scholiis, margini editionis Pamphili et Eusebii adjectis, novit. Profecto optimis interpretibus accensendus est hic Constantinopolitanus episcopus, etsi linguae Hebraicae ignarus, et vel ideo felicior in N. quam in V. F., quamquam in illo quoque a vitiis non prorsus exemtus est *).

Hilarius Pictaviensis, linguae Hebraicae et fortasse etiam Graecae expers, in Commentariis in Psalmos et in Evangelium Matthaei, sicut testatur Hieronymus in Catal. Script. Eccles. c. 100., imitatus est Origenem, et nonnulla ex suo ingenio addidit **).

Basilius, cognomine Magni decoratus, subtilis quidem, totus autem secutus est Origenem, ut Socrates IV. 26. et Sozomenus VI. 17 testantur; mutavit duntaxat, quae ipsi non arridebant. ***).

---

*) Confer Rosenmüller Hist. Interpr. T. III. p. 265 — 287.

**) Conf. R. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Chap. 10, p. 454. Rosenmüller Hist. Interpr. T. III. p. 304 — 313.

*** Rich. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. X. p. 456. Rosenmüller l. c. p. 219 — 231.

Ambrosius opus sex dierum sensu mystico, ex Origene et Basilio compilavit. *).

Eusebius Hieronymus Stridoniensis, ingenio quidem Origene inferior, ast non solum Origene, sed ceteris etiam antiquis omnibus longe superior erat linguarum scientia et ceteris adminiculis, quae ad rectam interpretationem necessaria sunt. Calle-bat praeter linguam Latinam et Graecam, etiam Hebraicam, et Chaldaicam didicit jam senex; doctissimos Judaeorum magistros consulebat; versiones Graecas Hexaplorum examinabat; authores Latinos et Graecos familiares habebat; historiam, et Geographiam Palaestinae, in qua multos annos commoratus est, adprime noscebat; consuetudines orientalium, quibus antiquitates illustrantur, facile in vita communi observabat, atque antiquiores interpretes sedulo legebat. Ita instructus, et sano judicio praeditus, sensum literalem eruere satagebat, mysticum vero non raro quidem, sed fere duntaxat ad illustrationem et ornamentum orationis usurpabat. Dolendum, quod sua nimis festinus, absque praecedente matura meditatione effuderit; hinc sibi minime constat, et non raro secum ipse pugnat, quia alio tempore aliam sententiam adoptabat, vel non, quae ipse sentiebat, sed quae in aliis legerat, vel a magistris Judaeorum audiebat, notario suo dictabat, quin lectores moneret,

*) R. Simon ibid p. 456. Rosenmüller l. c. p. 313 — 328.

sententiam esse aliorum, non suam. Commentarii, quos in Prophetas scripsit, ceteris praecellunt *).

Augustinus ab agendis caussis et a professione rhetoricae ad studium Bibliorum transgressus est, ingenio Origeni similior quam Hieronymo, eruditione vere utroque longe inferior, linguae Hebraicae ignarus, in Graeca, quam, ut ipse profitetur, inde a juventute oderat, tiro, regulas quidem interpretationis utcunque, aut saltem melius exponere, quam in usum redigere potuit, imo neque naturam interpretationis satis perspexisse se, prodit in epistola 86 et 88 ad Hieronymum scripta. Hinc commentarii ejus subtilitatibus, huc nihil facientibus, repleti, allegoricum seu mysticum fere ubique sensum exhibent, nec excepto opere De Genesi ad literam, in quo nequidem ipse sibi satisfecit Augustinus; scribit enim de eo Retract. L. I. c. 18.: in scripturis interpretandis tirocinium meum sub tantae sarcinae mole succubuit; et rursus: plura quaesita quam inventa sunt, et eorum, quae inventa sunt, pauciora firmata, cetera vero ita posita, velut adhuc requirenda sint. Hinc in libris retractationum plura, etiam in dogmaticis et polemicis operibus scripta,

*) Conf. Rich. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. 9. p. 442 — 453. Rosenmüller Hist. Interpr. T. III. p. 329 — 398., qui vero in Hieronymum, sicut in quosdam alios, est justo severior et iniquior.

emendare contendit, sed longe abfuit, ut omnia, quae emendatione, etiam pro illa temporum ratione, indiguissent, animadverteret. Severiorem Petri Castellani censuram, Augustinum in exponenda Scriptura somniasse, diligentioribus operum ejus lectoribus dijudicandam relinquimus *).

Commentarii, seu potius Scholia Pelagii a Cassiodoro emendata fuerunt, et a R. Simon optimis accensentur; ex his hauserunt deinceps Sedulius, Primasius, Haymo, et alii **).

Isidorus Pelusiota, discipulus Chrysostomi, plura quidem in epistolis suis scripsit utilia ad interpretationem; haec vero tanta non esse comperi, quanta quibuspiam visa fuerunt.

Cyrillus Allexandrinus est mysticus, et inprimis dogmata tractat.

Theodoretus, Cyri episcopus, usus est operibus Theodori Mopsuesteni et Chrysostomi, et versionibus antiquis; nonnunquam etiam textum Hebraicum laudat, ex quibus omnibus verum sensum acri persaepe judicio eruit, et sensum allegoricum seu mysticum ad stili fere duntaxat ornatum et ad illustrationem materiae usurpat. In Quaestionibus, quas in libros historicos V. F. scripsit, plura

---

*) Conf. Rich. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. IX. p. 446 — 453. Rosenmüller Hist. Interpr. T. III. p. 398 — 502.

**) Conf. Rosenmüller l. c. p. 503 — 536.

sunt exigui aut nullius momenti, et nimis quaesita *).

§. 61.

Interpretes medii aevi.

Medium aevum, omni ex parte sterile, in exegesi nequaquam feracius fuit; nihil produxit, nisi forte quaepiam figmenta allegorica seu mystica, ac inter haec etiam aliqua non parum monstrosa. Qui personam interpretis induebant, vel unum aliquem antiquorum, ut Cassiodorus et Gregorius I. Augustinum, et Rabanus Maurus Hieronymum; vel plures, ut Beda, expilarunt; vel, ut Procopius Gaza et Nicetas, diversorum antiquorum interpretationes in unum aliquod corpus congesserunt, quod demum nomine catenae, a Thoma Aquinate, ut videtur, invento, condecoratum fuit. Ex Rabani Mauri, mox memorati, compilatione posthac rursus Strabo Fuldensis consarcinavit celeberrimam illam glossam ordinariam, cui subsequenti tempore plures aliae, ex antiquis ecclesiae scriptoribus, et ex recentioribus, ut ex Nicolao Lirano, Paulo Burgensi et Matthia Dornic excerptae adnotationes, insertae sunt, ut ita paulatim Glossa excresceret in commentarium. Alia glossa, interlinearis dicta, partim etymologica, partim mystica, debetur Anselmo Laudunensi, qui eam circa confinium seculi XI. et XII. congessit. Nicolaus de Lira, mox me-

*) Conf. Richard Simon Hist. Crit. du V. T. L. III. Ch. X p. 458 — 459.

moratus, ex Judaeo Christianus, interpretum hujus aevi facile princeps, e Rabbinis hausit, utinam praestantiorem ducem quam Salomonem Isaacum Jarchi seu Raschi, doctrinis Thalmudicis praeoccupatum, selegisset; praeterea multa et ipse interposuit inutilia, ac plura ex Aristotelis philosophia, quam profanis disputationibus relinquere debuisset, Bibliis infarsit. Ceterum tantam famae celebritatem nactus est, ut de eo diceretur: nisi Lira lirasset, totus mundus delirasset *).

§. 62.

Praecipui interpretes recentiores A. et N. F.

Seculo XVI. et XVII. plures quidem commentarii prodierunt, in quibus autem omnibus, aut fere omnibus exacta linguarum scientia, eruditio necessaria, et rectus hermeneuticae et criticae usus desideratur, et permulta inutilia inserta occurrunt, etsi alioquin non pauca utilia complectantur. Pater de la Haye collegit, ut opinabatur, optimos, reapse autem admodum mediocres, in Bibliis magnis 9 Tomis, et in Bibliis maximis T. 19. in fol., et addidit versiones antiquas ex pseudoversionibus Latinis, quae in Polyglottis habentur, excerptas. Author pueriliter gloriatur in mole operum suorum. — Saniori nonnihil judicio congesta est collectio commentariorum in sic dictis Criticis Anglicanis.

---

*) Conf. R. Simon Hist. Crit. du V. T. L. III, Ch. 10 — 11. p. 459 — 466.

Commentarii in integram Scripturam Sacram, qui his duobus seculis editi sunt, celebriores, nempe Emanuelis Sa, Menochii, Tirini, Cornelii a lapide etc., multorum adhucdum manibus teruntur, etsi vitiis omnis generis scatent. Ipse quoque Calmet, ab omnibus laudatus, non offert, nisi diversas antiquorum et recentiorum interpretationes, sine maturo judicio congestas, et maxima ex parte mysticas, quibus tiro, experientia edoctus scribo, magis impeditur et inutiliter detinetur, quam adjuvatur. Multo utiliores sunt Ludovici de Deo, seu de Dieu, animadversiones, in quibus inprimis antiquae versiones excutiuntur. — Adnotationes Grotii, quae magnam quoque laudem tulerunt, meliores sunt in N. F. quam in V. F.; recusae sunt hae in V. F. cum observationibus Vogelii, et auctuario Doederleinii in libros poëticos, 1779; illae autem in N. F. 1769.

Qui seculo XVIII., praesertim altero ejusdem dimidio scripti sunt commentarii, linguarum scientia, eruditione et diligentia antiquioribus longe praestant. In totam Scripturam quidem hoc seculo vix ullus commentarius, qui commemorari mereretur, editus fuit. Versiones vero quaepiam cum adnotationibus prodierunt, ut: die Heilige Schrift des A. u. N. T. mit kurzen Anmerkungen von Braun 1786. Nürnberg, opus ad versionem Vulgatam exactum; die Bibel des A. u. N. T. mit vollständig erklärenden Anmerkungen von W. T. Hetzel 1786 — 1791. in 8. Lemgo; Joh. Dav. Michaelis Uber-

setzung des A. u. N. T. mit Anmerkungen 1775 — 1792. 4. Goettingae, hae adnotationes Michaelis in quamplurimis eximiae sunt, et res antiquas, historicas et geographicas, egregie illustrant.

§. 63.

Praecipui recentiores interpretes V. F.

Hieron. Oleaster Lusitanus commentarios scripsit circa medium seculi XVI, in quibus, vir aliunde Hebraicae et Graecae linguae peritus, in eruendo sensu literali Rabbinos sequitur, et contextum orationis diligenter confert.

Joh. Clerici Commentarii in V. T., 1708 — 1731. 5 T. in fol., insignes sunt in expositionibus historicis, ac tractationem quoque librorum historicorum meliorem quam propheticorum et poëticorum exhibent; solutiones tamen difficultatum non raro violentae sunt.

Joh. Henr. Michaelis notae breves, margini Bibliorum Hebraicorum, Halae 1720. 8. adjectae, mysticis interpretationibus plura utilia inserta exhibent; et notae uberiores in Hagiographa 1735 — 1751. 3 Voll. in 4., quarum tamen solae illae in Psalmos, Jobum, Canticum et L. 1. Paralip. sunt ipsius; notae autem in Proverbia, Threnos et Danielem sunt Christ. Bened. Michaelis, nepotis ipsius, et ceteris eminent; notae in Ruth, Ecclesiasten, Estherem, Nehemiam et Librum II. Paralip. profectae sunt a Joh. Jac. Rambachio, diligenter quidem eloboratae, sed non magni momenti.

Joh. Aug. Dathii versio V. T. cum notis selectis philologicis et criticis 1773 — 1789. 8. Halae.

Joh. Christ. Frid. Schulzii Scholia in V. T., continuata per Bauerum 1783 — 1802. 8. voll. 10. Norimbergae. Primi tres tomi in libros historicos, scripti sunt a Schodero sub nomine Schulzii, et omnibus antiquioribus quidem praestant, inprimis laudandus est sedulus Josephi Flavii usus, sed plura loca difficilia praetermittunt, aut negligentius tractant. Reliqui septem tomi, qui ceteros libros V. F., excepto Ezechiele et Daniele, complectuntur, a Bauero diligenter elaborati sunt; locorum difficiliorum duae plerumque interpretationes, antiquior et recentior, proponuntur, ac judicio lectoris relinquuntur.

Brentano Uebersetzung des A. T. mit Anmerkungen, continuatur per D. Dereser, et pertigit usque ad Ezechielem et Danielem, qui editi sunt 1810.

His omnibus longe praestant Ern. Frid. Car. Rosenmülleri Scholia in V. T., quae inde ab anno 1795 usque 1811. Lipsiae in 8. prodierunt, et porro continuantur. Vastissimam exhibent eruditionem et quamplurimas acutissimas observationes; inprimis parallelismus poëticus et diversorum locorum adcurate expenditur. Quae hucusque edita sunt Scholia, complectuntur Pentateuchum T. 2. 1795 — 1798.; Psalmos T. 3. 1798 — 1804.; Job. 2 T. 1806.; Ezechielem 1 T. 1808 1810.; et prophetas minores T. I. 1812. Scholia in Jesaiam primum edita sunt 1791 — 1793. T. 3., quorum T. I. 1811. retractatus et auctus prodiit. Opus omnibus commendandum.

§. 64.

Praecipui recentiores interpretes N. F.

Erasmus Roterodamus seculo XVI. optima quaeque, ex antiquioribus hausta, expressit in suis paraphrasibus N. F., quae saepius, et rursus 1770 — 1780. Berolini T. 3. in 8. recusae fuerunt. Ejus Adnotationes in N. T., seorsim editas, legisse neminem poenitebit.

Ioh. Maldonati Commentarii in 4 Evangelistas 1596. f., deinceps saepius recusi; et Estii Commentarius in epistolas Pauli 1631. f., dein saepius recusus; utrumque hoc opus legi adhucdum meretur.

Joh. Christ. Wolfii curae philologicae et criticae in Evang. et Act. Ap. ed. III. 1739.; in priores Pauli epistolas ed. II. 1734.; et in 10 posteriores Pauli epistolas 1738.; in epist. Jacobi, Petri, Judae et Johannis hujusque Apocalypsim ed. II. Hamburgi 1741, in 4. Opus olim celeberrimum, nunc raro memoratur, et profecto quae in eo sunt critica, nostra aetate vix usui esse possunt; quae vero sunt exegetica, ex aliis sine sagaci judicio congesta sunt. Continuatio per Joh. Christ. Koecherum in analectis philologicis et exegeticis in 4 Evang. 1766, nonnihil melior est.

Promtuarium praestantissimum, quo nullus interpres N. F. sine incommodo carere potest, est Joh. Jac. Vetstenii Novum Testamentum cum lectionibus variantibus nec non commentario pleniore 1752. T. 2. in f. Amstelodami. Hic est fons, ex quo omnes subsequentes meliores interpretes N. T.

hauserunt. Jungendae in subsidium huic operi sunt Concordantiae V. T. Graecae, Hebraeis vocibus respondentes auct. Conr. Kirchero Francof. 1607. 2 Vol. in 4. maj.; Abrah. Trommii Concordantiae Graecae Versionis vulgo dictae 70 interpretum T. 2. in f. Amstelod. 1718. fol.; Joh. Christ. Biel Novus thesaurus philologicus, sive Lexicon in 70 interpretes 3 voll. Hagae Com. 1779 — 1780. in 8.; Lexici in 70 interpretes Spicilegium, congessit Joh. Fr. Schleusner Spec. I. 1784, II. 1786. Lips.; Kvinoel Observationes ad N. T. ex libris apocryphis V. T. 1793. 3. Lips.; Bretschneider Lexici in interpretes Graecos V. T. spicilegium 1805. Lips.; Beckhaus Bemerkungen über den Gebrauch der apocr. Bücher, Dortmund u. Leipz. 1808.; ac Schleusneri Lexicon in N. T. ed. II. 1801. Lips. In Critica conferendum est Griesbachii N. T. ed. II. 1796 — 1806. Halae.

Novum Testamentum Graece, perpetua annotatione illustratum a G. B. Koppe ed. II. 1791., continuatur a Joh. H. Heinrichs, sed editio lente progreditur, hucusque non prodierunt, nisi 4, vel 5 voll. si addantur Pottii Epistolae catholicae (eadem methodo) per adnotationem perpetuam illustratae 1786. Goett.

D. Joh. G. Rosenmülleri Scholia in N. T., quibus jungendum est Handbuch des N. T.; utrumque opus saepius recusum est.

Die H. Schrift des N. T. von Brentano, III. Aufl.

1799. cum adnotationibus, quae pleraeque res explicant.

Philologisch - kritischer Commentar über das N. T. von H. Eberh. Gottl. Paulus, hucusque 4. T. in 8. 1800 — 1804., in quo permultae sunt interpretationes a longe petitae, quaesitae, artificiosae, argutae, et hypothesibus superstructae, ideoque diligenti examini subjiciendae. Jure merito quoque carpitur, quod quamplurima Graeca, aliunde vel tironibus nota, supervacanea diligentia explicentur.

Recensere interpretes singulorum librorum V. et N. F., non admittunt limites hujus libelli, nec necesse est, requiri enim possunt in Dav. Gottl. Niemeyer's Bibliotheck für Prediger, neu bearbeitet und fortgesetzt von Dr. Aug. Herm. Niemeyer u. Heinr. Balth. Wagnitz 1796. Halle I. Th. S. 156 — 300. Aliquos tamen paucis commemorabo: Rob. Lowth Jesaias mit kritischen, philologischen und erläuterenden Anmerkungen 1779 — 1881. 4 B. in 8.; Joh. D. Michaelis Observationes philologicae et criticae in Jeremiae vaticinia 1793; Alb. Schultensii Liber Job, et Proverbia cum commentario 1737 et 1748., in compendium redacta a Vogel et Teller 1769 et 1773 — 74; die Psalmen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Dr. Georg Chr. Knapp III. Aufl. 1789, und von Dr. Joh. Adolph. Jacobi 1796; Liber Jesu Siracidae ad fidem codd. et verss. emendatus et perpetua annotatione illustratus a Car. Gottl. Bretschneider 1806. Harmoniae Evangeliorum sine vel cum commentario editae sunt a Bern. Lamy 1699., a Bengelio 1736 et 1766., ab Haubero 1737., a Büschingio 1766 — 1767., a Bergen 1789 — 91., et a Mutschelle 1784. His addi potest Synopsis Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae edita a Cl. Griesbachio 1809. ed. II. Halae. Contra fragmenta Quelferbytana prodierunt harmoniae historiae resurrectionis Christi: Fragmente u. Antifragmente von Doederlein 1771. II. Aufl.; Auferstehungsgeschichte

Jesu von Lefs 1779.; Erklärung der Begräbnifs - u. Auferstehungsgeschichte von J. D. Michaelis 1783.; die Auferstehungsgeschichte unseres Herrn von Plefsing. Porro commentarii et explicationes ex praelectionibus Mori ab auditoribus editae 1794 — 95. D. Christ. Theoph. Kvinoel Commentarius in LL. N. F. historicos, hucusque duo voll, in 8. 1707 — 9. Lips. J. C. Fr. Schulz erster Brief an die Korinther erkläret 1784.; et zweyter Brief an die Korinther 1785. J. D. Michaelis Erklärung des Briefs an die Hebräer II. Aufl. 1780. Pauli Brief an die Hebräer erläutert von Storr 1789, opus eruditione plenum, ut omnia opuscula hujus authoris, impugnatum tamen a Ziegler in Vollständige Einleitung in den Brief an die Hebräer 1791. Commentarius in Apocalypsim scriptus ab Eichhorn 1791., quem secutus est Lange in opere: die Schriften Johannis 1795, et Hagen in libro: der Sieg des Christenthums über Juden- und Heidenthum, oder die Offenbarung Johannis. 1796. His adde Vaters Commentar über den Pentateuch 1805 — 5., et Berthold's Daniel 1806 — 8.

§. 65.

Usus Commentariorum.

Usus horum librorum est duplicis generis. Jam enim eos evolvimus, ut notiones vocum, et sensum formularum loquendi, vel explicationem rerum, quae indicantur, aut expositionem historiae, et similia comperiamus, et tum sententia commentarii non mox temere adoptanda, sed ad regulas Hermeneuticae, et Criticae diligenter examinanda est, et res, quae explicantur, ex antiquitatis tenebris in lucem protrahendae, et illustrandae sunt e principiis, quae in Archaeologia traduntur. — Jam commentarius perlegitur integer, eo consilio, ut methodus interpretandi discatur, et observetur, qua ratione regulae hermeneuticae in ipsa exegesi adhi-

beantur et adhibendae sint. Hic usus commentariorum tironibus plurimum confert. Seligendus itaque est unus aliquis ex optimis hujus generis libris, uti in V. F. Em. Fr. C. Rosenmülleri Scholia, et in N. F. Dr. Joh. G. Rosenmülleri Scholia, aut Kvinoel Commentarius; et selectus demum liber saepius relegendus, atque usus regularum hermeneuticarum non solum sedulo animadvertendus, sed etiam examinandus et dijudicandus est, ut errores, quos forte commisit interpres, deprehendantur, et eorum caussae, quae notandae sunt, detegantur. Hac diligenti lectione repetita, et aliquo longiore tempore continuata, te paulatim ad methodum authoris conformabis, et facultatem principiis hermeneuticis recte utendi, et occasiones errorum observandi, adquires, ut eos evitare discas.

§. 66.

Plures interpretes legendi.

Verum, sive sensus dictionum et explicatio rerum quaeratur, sive methodus interpretandi spectetur, uni alterive etiam optimo interpreti penitus inhaerendum non est, sed meliores quoque alii conferendi sunt, ut ex antiquis Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus; ex Rabbinis Aben Ezra, Kimchius, David ben Melech; vel ex illis, qui ex Rabbinis hauserunt, Nicolaus Liranus, Hieron. Oleaster; denique ex recentioribus etiam fusiores quipiam, ut Alb. Schultensius, Storr et Schnurrerus in Dissertationibus exegeticis, et in N. F. inprimis Vetstenius. In quolibet singularia quaepiam bene

tractata invenies, aut dissensu attentior factus, errores facilius deprehendes, et verum, fortasse nondum observatum, ipse comperies.

§. 67.

Alii interpretes consulendi.

Reliqui interpretes, qui omnes legi non possunt, ea de caussa non etiam omnes negligendi sunt, meliores enim passim aliqua optime exposuerunt, et hinc inde non sine fructu consuluntur, praesertim de eo, in quo excelluerunt, scilicet vel in explicatione verborum et phrasium et in usu linguarum orientalium, aut in collatione contextus et locorum parallelorum, aut in expositione rerum, aut in critica; hinc sponte consequitur, singulorum virtutes et vitia debere esse cognita, ut in singulis difficultatibus, ad quos recurrendum sit, constet. Eo pertinent illa, quae supra de commentariis pauca delibavimus; qui plura cupit, adeat Rich. Simon Histoire Crit. du V. T. L. III. et du N. T. P. III., Niemeyer Prediger Bibliothek ed. II. T. I. p. 166 — 310. Ipse autem facile quoque cognosces, quid a commentario, qui forte in manus venit, sperandum sit, si loca quaepiam, quae novisti a difficultatibus criticis vel exegeticis celebria, evolveris, et explicationem examinaveris. Accedunt externa quoque indicia boni interpretis, uti linguarum cognitio, sedula et diuturna lectio scriptorum orientalium et Graecorum, vasta eruditio, atque multa exercitatio exegetica, ex quibus omnibus facile colligitur,

quid ab interprete his instructo vel destituto exspectandum sit.

§. 68.

Exercitatio exegetica.

Hic usus interpretum, de quo locuti sumus, eo spectat, ut ipse, quin ab aliena manu ductrice pendeas, interpretari discas; quare demum scripturam absque commentario legere oportet, et interpretationem sine alieno auxilio tentare, atque id exercitium eo usque continuare, donec facultatem interpretandi tibi comparaveris. Primum itaque libri aliqui faciliores historici, demum quipiam difficiliores, uti prophetici aut poëtici, et epistolae Apostolorum, legantur, et ex usu regularum hermeneuticarum explicentur. In hac lectione observentur expressiones synonymae et antitheticae, quae multum conferunt ad sensum adcuratius definiendum; notentur porro rationes syntaxeos, dictiones a nostro usu loquendi recedentes, earumque vis eruatur; animadvertatur contextus clarus vel obscurus; loca difficilia, quae se ipsa offerent, illustrentur; elucidentur tropi et allegoriae; examinentur lectiones variantes, quae sunt alicujus momenti, et alia similia, quorum omnium adnotationes in chartam, vel in Lexicon, alba charta interpolatum, ad futuros usus conjicere proderit. Si major pars Bibliorum hac ratione perlecta fuerit, lectio eorundem librorum alio ordine repetenda erit, et ex erroribus, quos prius commiseras et nunc facile corriges, apparebit, quantum profeceris, quod ipsum

novos animos addet, ut in coeptis sedulo progrediaris. Has inter occupationes nequaquam negligendi, sed sedulo legendi et excerpendi sunt libri omnes, ex quibus et linguarum et rerum historiaeque cognitio amplificari potest, quae lectio illis exercitationibus, quasi ad recreandum animum, interponenda est. Tali exercitio, aliquo temporis spatio continuato utilissimum ad exegesim adparatum adquires, ut deinceps, ope aliena minus indigus, proprio judicio niti possis.

§. 69.

Exercitium versionis.

Huic exercitationi necessario jungenda est versio in linguam vernaculam; nam notiones verborum, sensus dictionum, nexus orationis et res quoque ipsae multo diligentius examinantur et clarius percipiuntur, si verba authoris verbis alterius linguae, praesertim vernaculae, in qua nobis omnia sunt clariora, ad amussim exprimere contendimus. Hinc cum in eo eris, ut vertas, quae intellexisse videbaris, non raro observabis, te notionem aliquam, vel sensum, vel rem nequaquam plene et clare percepisse, neque mentem authoris penitus perspexisse, ac novo demum et ulteriori examine disces, quid defuerit, et ita in intima scriptoris penetrabis. Versio autem, quantum fieri potest, adcurata et perspicua elaboranda est, ut nec plus, nec minus, nec, quantum linguae proprietas admittit, aliter, neque alio orationis genere et colore exprimatur, quam eo, quo ab authore expressum fuit; sic, quod est poë-

ticum poëtico, prosaicum prosaico, tropicum tropico, figuratum figurato etc. genere dicendi, genio linguae tamen, in quam vertis, conformiter, exprimendum est, quod multo est difficilius, quam plerique existimant, inprimis cum etiam antiquitas librorum in versione translucere debeat, quod summae artis est, et nequaquam eo absolvitur, ut conjunctio et, persaepe recurrens, contra genium linguae conservetur. Denique versio etiam secundis curis perpolienda, ac ultimae quoque limae subjicienda est, non secus ac si typis danda, et judicio eruditorum committenda foret; ast reapse typis vulgare hujusmodi exercitia tironum, non expedit, ne dicam, aliquam arrogantiam prodit.

§. 70.

Exercitium paraphraseos.

Facilius, sed non minus utile, licet non adeo necessarium est exercitium paraphraseos, qua sensus verbis pluribus et facilioribus exprimitur, scilicet, ambigua circumscribendo figuntur, obscura dissipatis tenebris perspicue exponuntur, notiones et res definitionibus, et insertis, ubi opus est, rationibus, explicantur, atque nexus orationis apte exprimitur. Virtutes paraphraseos, ad quas enitendum est, sunt brevitas et perspicuitas; vitia autem cavenda sunt: circumscriptio eorum, quae aliunde clara sunt, et admistio opinionis privatae et propriae, quae nulli libro obtrudenda est. Ceterum paraphrasis duntaxat in libris conciso stilo scriptis locum

habere potest, sed quia characterem scriptoris tollit, hoc exercitium non omnibus probatur.

§. 71.

Analysis librorum.

Si non in omnibus, in plerisque certe libris perutilis et saepe necessaria est analysis, seu resolutio totius libri in suas partes majores et minores. Ut partes singulae observentur, liber solo hoc consilio, neglecta omni alia in capita et versus partitione, attente legendus, et omnis attentio in eo figenda est, ut animadvertatur, ubi sermo desinat, et alius inchoet, et an forte sermo partibus minoribus constet, quae omnes partes mox notandae sunt, et argumentum singularum partium majorum et minorum, paucis exprimendum est. Quodsi hujusmodi partitio, et expressio argumentorum, ab alio facta adsit, rigoroso examini subjicienda erit. Hac ratione fiet, ut argumentum totius libri plene perspicias, felicius memoria teneas, et in consilium et mentem authoris quoque altius penetres.

Viennae, 1812.

Typis Antonii Schmid,

Caes. Reg. Privil. et statuum infer. Austriae Typographi.

Emendanda.

P.	L.		Lege
2	— 2. ab infr. antiquores	—	antiquiores.
3	— ult. aceam	—	taceam.
15	— 7. die	—	dire.
52	— 8. ab infr. per Cyrum	—	per Alexandrum, simili illius per Cyrum.
59	— 2. בָשָׂר	—	בָּשָׂר.
98	— 8. prooëmio	—	prooemio.
125	— 10. ab infr. conductis	—	adde Matth. 20, 1—16.
125	— 7. ab infr. oeconomo	—	adde Luc. 16, 1—13.
126	— 15. divincire	—	devincire.
138	— 6. numeralam	—	numeralem.

Monitum.

Quas in Praefatione p. VII. subdubitans promisi exercitationes hermeneuticas et explicationes vaticiniorum Messiam promittentium, nunc actu elaboro, et primus fasciculus fortasse proximis nundinis Michaelis prodibit.

Conspectus operis

Praeliminaria Hermeneuticae.

§. 1. Intelligere, p. 1 — 6.
— 2. Interpretari, 6 — 11.
— 3. Hermeneutica Biblica, 10 — 13.
— 4. Utilitas et necessitas ejus, 13 — 16.
— 5. Origines et incrementa ejus, 16 — 18.
Opera praecipua, 18 — 20.

Caput I.

De sensu.

§. 6. Sensus, p. 21 — 22.
— 7. Ex usu loquendi eruendus, 22 — 23.
— 8. Usus loquendi definitur, 23 — 32.
— 9. Sensus unicus in contextu, 33 — 34.
— 10. Sensus certus, probabilis, verus, 34.
— 11. Criterium sensus certo falsi, 35 — 36.
— 12. Sensus difficultatibus obnoxius, 36 — 39.
— 13. Testimonia de usu loquendi, 39 — 41.
— 14. Sensus mediatus seu symbolicus, 41 — 42.
— 15. Sensus mediatus negari nequit, 43 — 46.
— 16. Indicia sensus mediati, 47 — 48.
— 17. De sensus adcommodato, 48 — 49.
— 18. Interpretatio moralis, 49 — 50.

Caput II.

De contextu orationis, substrata materia, consilio authoris, aliisque adjunctis.

§. 19. Contextus orationis, p. 51.
— 20. Contextus vis probandi, 51 — 61.
— 21. Contextus ubique conferendus, 61 — 65.
— 22. Contextus locorum ambiguorum et graviorum, 65 — 70.
— 23. Consilium scriptoris seu scopus, 71 — 73.
— 24. Occasio scribendi, 73 — 75.
— 25. Substrata materia, 75 — 78.
— 26. Reliqua adjuncta seu circumstantiae, 78 — 80.

Caput III.

De locis parallelis.

§. 27. Loca parallela, p. 81 — 85.
— 28. Ratio inveniendi loca parallela, 85 — 88.
— 29. Cautelae in collatione locorum parallelorum, 89 — 91.
— 30. Loca parallela ejusdem libri et diversorum librorum, 91 — 94.
— 31. Loca V. F. in N. F. adducta, 94 — 95.
— 32. Analogia doctrinae, 96 — 100.

Caput IV.

De tropis recte interpretandis.

§. 33. Troporum origo, p. 101.
— 34. Interpretis partes in dictionibus tropicis, 101 — 105.

— 35. Regulae agnoscendi tropos minus idoneae, 105 — 106.
— 36. Unde inprimis tropi dignoscendi, 106 — 107.
— 37. Regulae, quibus tropi explorantur, 107 — 114.
— 38. Interpretatio troporum, 115 — 116.
— 39. Interpretatio troporum clara sit, 116 — 119.
— 40. Allegoriae, imagines, parabolae et fabulae, 120 — 127.

Caput V.

De emphasibus.

§. 41. Quid emphasis, p. 127 — 128.
— 42. Partitio emphasium, 128 — 131.
— 43. Emphases nequaquam frequentes, 131 — 132.
— 44. Emphases fictitiae, 132 — 134.
— 45. Emphases verae, 134 — 135.

Caput VI.

De compositione εναντιφανων.

§. 46. Adparens locorum pugna, p. 136.
— 47. Ratio εναντιοφανων, 137.
— 48. Locus alteruter mendo laborans, 137 — 139.
— 49. Locus alteruter minus recte intellectus, 139 — 142.
— 50. Pugna adparens ex diversitate phrasium, 142 — 144.
— 51. Pugna locorum dogmaticorum, 144 — 148.

§. 52. Pugna locorum propheticorum, 148 — 150.
— 53. Pugna locorum historicorum, 150 — 153.

Caput VII.

De audiendis et legendis interpretibus, et de exercitatione hermeneutica.

§. 54. Exercitatio hermeneutica, p. 154 — 156.
— 55. Homiliae, 156.
— 56. Scholia et Quaestiones, 156 — 157.
— 57. Commentarii, 157 — 159.
— 58. Antiqui interpretes Judaei, 159 — 160.
— 59. Praecipui interpretes Judaei recentiores, 160 — 162.
— 60. Praecipui Christiani interpretes antiqui, 163 — 169.
— 61. Interpretes medii aevi, 169 — 170.
— 62. Praecipui interpretes recentiores V. et N. F. 170 — 172.
— 63. Praecipui interpretes recentiores V. F. 172 — 173.
— 64. Praecipui interpretes recentiores N. F. 174 — 177.
— 65. Usus Commentariorum, 177 — 178.
— 66. Plures interpretes legendi, 178 — 179.
— 67. Alii interpretes consulendi, 179 — 180.
— 68. Exercitatio exegetica, 180 — 181.
— 69. Exercitium versionis, 181 — 182.
— 70. Exercitium paraphraseos, 182.
— 71. Analysis librorum, 183.